





IN NOMINE S.S. ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS

Ex

DECRETO & AUTHORITY  
Magnifici, Nobilissimi, Ampliss. ac Consul-  
tissimi Senatus Juridici in perantiqua  
& celeberrima Rauracorum  
Academia,

Disputationem hanc Inauguralem

De

DIFFAMATIONIBUS,

Occasione

*Legis diffamari C. d. ingenuis manum.*  
*theorico-practicè conscriptam,*

Pro

Summis in CÆSAREO & PONTIFICIO  
Jure Honoribus, Privilegiis & Immunitatibus  
legitimè consequendis,

*Publico & solemnè Eruditorum examini*  
*exponit*

GERHARDUS WELTERS,  
Botzlaria-Cliviacus.

*Ad diem 28. Maji, An. M DC LVIII.*

Loco horisque solitis.

BASILEÆ, Typis GEORGII DECKERI,  
Universitatis Typographi.

4 16

2104

1658

83

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





## P R Æ F A T I O.



*U*M post exantlata Juris  
Candidatorum Examina ab Amplis-  
simo, Consultissimoq; Juris-  
Universitatis Collegio, pro summis in  
utroque Jure honoribus & privilegiis  
adipiscendis, conscribendi Disputatio-  
nem Inauguralem mihi concederetur  
licentia, nihil prius faciendum arbitratus sum, quam ut  
tempus & operam collocarem in tractationem materiae, quæ  
claram in jure habeat sedem, & rarior quidem in Academiis  
& Scholis; in foro verò & praxi quotidiana frequentissima  
& utilissima sit: Eo sine famosissimam juxta ac nobilissimam  
legem diffamari. §. C. de Ingen. manumiss. elegi; Hæc  
quippe per omne Juris nostri Corpus semet diffundit, neque  
memini ex ulla Cathedra disputatum de illa fuisse, tametsi  
præ illius Condiçione nulla actionis formula in foro commu-  
nior atq; frequentior, quod & inde patet, quòd ejus nomen &  
lippis & tonsoribus notum, adeò ut etiam in inferioribus ju-  
diciis procuratores interdum ἀναλφάβητοι, cum aliquam  
actionem suo speciali nomine designare, aut legem aliquam  
allegare non possint, hanc tamen in ore habeant, cujus sanè  
legitimum usum sit àm notum ac nomen haberent, sæpius ma-  
jore cum sua laude & Clientulorum emolumento hæc condi-  
çione experirentur, inquit Blarer. in repetit. h. l. cap. 12.  
num. 1. Uberrimus quoq; ex illa in Rempubl. & tribunalia

redundat fructus, siquidem cuiusvis ejus beneficium observanti, statum suum illa sum, famam integram, bonorum tranquillam possessionem, & vitam interdum ipsam extra discrimen conservat; Extraneus etiam per illam ad iudicium nostrum cogi potest, ut is hac ratione sumptibus, via molestiis & aliis periculis, quæ nos subire debuissimus, gravetur. Et certè utilitates hujus legis, ait Mundius h. cap. 3. num. 6. sic sese exerunt, ut qui eas laudare & describere velit, soli famam præalucere conetur; Quare omiſſâ longiore commendatione rem ipsam aggredior, & de Diffamationibus velut Legis diffamari causâ, earumq; remedio pro temporis conditione differam: Cujus intentionis aciem, quam in duas distribuo partes, Theoreticam & Practicam, DEUS Dux Maximus ad salutaria & utilia clementer dirigere velit.

---

## P A R S P R I O R

### T H E O R E T I C A,

eaque

### G E N E R A L I S.

§. 1.

**P**Ars hæc generalis occupata est circa Præcognita, quæ absolventur Definitione & Divisione.

§. 2. Definitio, à qua omnis, quæ cum ratione de re aliqua suscipitur tractatio, incipere debet, ut ea rectè percepta, totum rectiùs percipiatur negocium. Cicer. lib. 1. de Offic. Myns. ad pr. Inst. de J. & J. n. 5. Dan. Otto in dis. de J. Publ. c. 1. post princ. est vel Nominalis, vel Realis.

§. 3. Definitio Nominalis spectatur in vocis: 1. Etymologiâ, quâ diffamatio à diffamando deducitur; Diffamare autem est famam latè spargere. Marq. Freher in tr. de fama l. 2. c. 17.

*l. 2. c. 17. num. 2.* vel ut Cagnol. *h. n. 2.* dicit, diffamare est per di-  
 versas partes famam divulgare. 2. Homonymiâ, quâ  
 diffamationis vocabulum accipitur & generaliter & speciali-  
 ter. Et quidem generaliter pro quacunque commemora-  
 tione sive bonâ seu malâ mente factâ, ita ut diffamatio bona  
 idem sit quod celebratio atque extensio famæ ac laudis; Hâc  
 in significatione usus est D. Augustin. *l. 3. de Civit. Dei. cap. 3.*  
*in princ.* ubi inquit: *Nisi assiduis, sibiq; continuo succedentibus bellis*  
*Rom. Imperium tam longè possit augeri, & tam grandi gloriâ diffamari,*  
*& lib. 22. cap. 8. in princ. ibi, nam etiam nunc simul miracula*  
*in ejus nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias*  
*Sanctorum ejus, sed non eadē claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa*  
 gloria diffamentur. Specialiter verò & per quandam anto-  
 nomasiam diffamatio designat calumniam & malitiosam ve-  
 xationem, *vid. num. 3.* & hoc modo sumitur vel latè, pro qua-  
 vis inquietatione & molestia, sive ea contingat in persona sive  
 in rebus; vel strictè, quatenus ad honoris & exultationis  
 quæstionem pertinet, *Wesembec. vol. 1. consil. 96. num. 22.* In  
 priore latâ scil. acceptione nos impræsentiarum utimur voca-  
 bulo diffamationis, nam nimis insulsi sunt, inquit *Wesemb.*  
*d. conf. 96. num. 7.* qui remedium legis diffamari ad solam diffa-  
 mationem nominis & famæ restringendum putant. Syno-  
 nymiâ, qua diffamatio etiam Jactatio Covarruv. *l. 1. V. R.*  
*c. 18. num. 8.* & infamatio Marq. Freher. *in d. tr. l. 3. cap. 1. n. 4.*  
 dicitur, Sic in *l. 15. §. item si quis. 32. l. eum qui. 18. princ. ff. & l. 9.*  
*cum seq. C. de injur. infamare accipitur pro diffamare add. Rosb.*  
*in Pr. Crim. tit. 5. cap. 3. num. 4. Corvin. in aph. Jur. Canon. l. 3. t. pen.*  
*de purg. Canon.* Et sæpenumero significat idem quod differre,  
 ut in *l. 1. C. de jurejur. propt. calumn.* eoque in sensu usus est Lu-  
 cilius:

*Et maledicendo multis sermonibus differs.*

Et Plaut. in *Aul. act. 3. scen. 2.*

*Ita me bene amet Laverna te jam nisi reddi*

*Mihi vasa jubes, pipulo hic differam te ante ades.*

German. Einen außtragen / beschreyen oder in ein böß Geschrey  
 vnd Gerücht bringen / verleumbden / &c. *vid. Non Marcellin. de*

*propriet. serm. cap. 1.* Paronymiâ, siquidem à diffamatione descendunt diffamantes sive diffamatores, qui diffamationem faciunt; Et diffamati, qui eam patiuntur; Item Chartulæ sive literæ diffamatoriæ, quibus diffamatio continetur, Damhoud. in *Pr. Crim. c. 125. num. 1.* & denique iudicium diffamatorium, ubi de veritate diffamationis, aut de impositione perpetui silentii tractatur, Gail. 1. *Obs. 11. n. 2.*

§. 4. Nominalem definitionem sequitur Realis non quidem dignitate sed ordine *argum. l. 1. §. 1. & 2. ff. de part. l. 5. §. 3. cum. seq. ff. de pecul. & l. 1. ff. de furt.* Periculosa autem cum omnis in iure sit definitio, *l. 202. ff. de Reg. J. Bartol. in l. 1. ff. de testam.* tum maximè diffamationis est; Etenim in ea definienda mirum in modum ut variant, ita hallucinantur quoque juris nostri Interpp. sicut ostendit Mundius *h. c. 1. num. 34. & seqq.* Ego relictis aliorum Definitionibus hanc constituendam reor: Diffamatio est delictum dolo malo & contra bonos mores statu aut re in alterius contumeliam læsâ admissum. Generis locum subintrat delictum, quia hoc latius patet suo definito, non enim omne delictum est diffamatio, sed benè econverso: Diffamationem autem esse delictum constat ex *l. nostra ibi*, periniquum est; & quidem privatum, quia de illo legibus publicorum iudiciorum nihil est cautum. *l. 3. §. 3. ff. de prævaric.* Schneidw. *ad pr. Inst. de oblig. ex delict. n. 7.* Excellentissimus Dn. D. Rebhan. in Academia Argentinensi Professor Primarius, Præceptor quondam meus summe venerandus, in *hodog. jur. pag. 606. thes. 4.* & vindicatur à privato ratione sui interesse, quod proprium est delictorum privatorum Dn. D. Tabor in *Racem. ad tit. ff. de priv. del. racem. 1. th. 12.* Matth. Hubner. *3. diff. jur. 317.* & hætenus conveniunt Dd. Quale autem delictum privatum sit diffamatio? dissentiunt Mundius *h. c. 1. n. 44.* & Rurg. Ruland. in *tr. de Commiss. p. 3. l. 8. cap. 4. num. 27.* hic namque eam refert inter quasi delicta; At ille veris annumerat, cujus sententia probabilior est, quia diffamatio non tam culpa, quam dolo diffamantis committitur. Reliqua definitionis membra in causarum tractatione explicabuntur.

§. 5. Di-



§. 5. Divisio, quæ ad evidentiorum rei intellectum in omni tractatu accuratè observanda, *argum. §. 3. Inst. de legat. proximus enim veritati, qui benè distinguit, Salicet. in pref. Cod. Br. in l. 12. §. nihil. ff. de A. vel A. P. num. 3.* imò qui distinctione sepositâ ulterius progreditur equum per caudam frænare dicitur, Waremund ab Ehrenberg *in tr. de fæder. c. 1. num. 140.* petitur à causis, siquidem diffamatio dividi potest 1. à causa efficiente in veram & præsumptam. 2. à Subjecto patiente potius ab Objecto in Personalem & Realem. 3. à forma in Verbalem & Realem. Item in atrociorum & Leviorum; quibus de omnibus suis ubique locis uberius dicitur.

## PARTIS PRIORIS

### PARS SPECIALIS.

**G**eneralia diffamationis præcognita excipiunt cognoscenda ipsa sive Specialia, quorum tractatio consistit in Causis & Effectibus. Causæ sunt vel Internæ, vel Externæ.

## MEMBRUM I.

### ARTICULUS I.

*De*

## CAUSIS EXTERNIS.

§. 1.

**C**ausæ externæ sunt Efficiens & Finis. Efficiens alia est Remota, alia Propinqua.

§. 2. Causa Efficiens remota diffamationis est Dolus. Doli vocabulum hîc latiùs accipio pro quacunque alteri nocendi malitiâ, sive ea conjuncta sit cum signis & indiciis manifestis, dolumque necessariò inferentibus, sive cum probabilibus, quæ præsumptivè tantùm dolum concludunt, veluti cum quis

quis dat operam rei prohibitæ, nam illicitum suscipiens actum quocunque tandem colore adumbratum revera in dolo est, *l. si rem hered. 6. ff. Expil. hered. l. 38. ff. de pœn. Gail. 1. de P. P. cap. 7. num. 13. & facta atque verba offensiva dolum arguunt animum, l. 21. princ. ff. de A. vel A. H. l. 7. §. servus. 2. de Supell. leg. Cravetta consil. 25. num. 10. vel generalius dolo facere præsumitur, qui facit quod facere non debet l. 8. §. 9. l. 44. ff. Mand. l. dolo. 41. ff. ad L. Falcid. l. 7. ff. de admin. tut. dolo etiam facit, qui uti non vult viâ juris, sed ipsemet sui vindictam intendit, argum. l. 38. ff. de jurej. l. extat. 13. ff. Quod met. caus. Hinc apparet, quod Imp. l. nostræ verba sive errore sive malignitate non considerantur oppositivè, ut error pro vero & puro errore acceptus excludat voluntatē malignam, hæc enim est de essentia cujusvis delicti, l. 53. princ. de furt. l. 14. ff. ad L. Cornel. de sicar. ita ut ea deficiente deficiat & cesset quoq; delictum, l. 7. §. 4. ff. de jurisd. l. 23. §. 2. de edil. Edict. Gail. d. c. 7. n. 17. Wesemb. in Comm. Cod. Ubi de crim. ag. op. num. 24. Verùm declarativè, quatenus error malignitati æquiparatur, & idem est cum dolo præsumpto, leges quippe semper contra eum, qui licet errore seductus, injustum & per se illicitum exercet actum, qualis est diffamatio, præsumunt, quod dolo eundem exercuerit, l. quemadmodum. 7. inf. C. de agricol. & censit. l. 11. Gloss. & Dd. in L. dolum. 6. C. de dolo. Bald. in l. 25. §. scire. 6. ff. de P. H. Neque etiam à diffamante minima abest culpa, dum conscientia ac naturali ratione distante scit vel saltem scire debet, sibi non esse permissum quodlibet quolibet proprio peragere impulsu, l. 14. C. de Judæis. Quintil. declar. 15. sed adversarium antequam ejus nomen famamve traducat, admonendum & coram Magistratu Ordinario conveniendum esse, Oldendorp. h. n. 5. P. Frid. Mindan. in tr. de process. extrahend. l. 1. c. 23. num. 16. Et si contra faciat, se committere in naturalem & civilem æquitatem, quâ hominem homini insidiari nefas est l. 3. de J. & J. maximè cum alter alterius causâ natus sit, ut profit Cicer. lib. 1. de Offic. non ut noceat, d. l. 3. ubi Dd. & l. 74. ff. de Reg. Jur. Quapropter si diffamans in concepta opinione pergat, meritò condictione ex L. diffamari convenitur ob dolum vel culpam videl. latam; hæc enim vero dolo comparatur in l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix. ei proxima*

xima dicitur in l. 8. ff. de Edend. l. 4. de Mag. Conven. l. 22. §. sed cum. ff. ad SC. Trebell. & dolum præsumptum repræsentat, l. 1. §. 2. ff. Si is qui test. lib. & idem est cum eo, l. 226. ff. de V. S. l. 32. ff. depos. Coral. 4. miscell. 1. Dn. D. Sebast. Gambs. in tract. de oblig. disput. 2. th. 38.

§. 3. Causa propinqua diffamationis incidit cum subjecto agente, quo de in art. seq. §. 2.

§. 4. Finem quod attinet, fit diffamatio vel loculi & lucri, vel animi, h. e. iræ aut libidinis gratiâ, ut in genere de causa finali delictorum loquitur Dn. D. Tabor in tract. Racem. def. 1. thes. 46. Regnant quippe hoc malitiosissimo sæculo corda Cainitica, linguæ Semeitica, labia Doegetica, salutationes Joabi, oscula Judæ, manus Sauliticæ. Casman. de Mund. im-mund. cap. 36. imò in hominibus adeò habituata est malitia, ut in iniquitatis opere voluntas eis deficere minimè speretur. c. unic. de pæn. extravag. comm. sibi nequam existant, suæ famæ fiant prodigi, se perjuriis patenter involvant, timore Dei à voluntate peccandi non arceantur. c. 2. pr. de Simon. extravag. comm. ad malitiam semel dediti omnia adinveniant. Nov. 72. inf. princ.

## A R T I C U L U S II.

De

## C A U S I S I N T E R N I S.

§. 1.

**I**Nternæ causæ sunt Materia & Forma. Materia est vel Subjectiva, vel Objectiva. Subjectum aliud est agens, aliud patiens.

§. 2. Subjectum activū diffamationis sunt Personæ diffamantes; Diffamare autē possunt omnes homines mentis suæ compotes, doliq; capaces, arg. §. 1. ibi dolo malo quid fecerint. f. & l. illud. 3. ff. de injur. Reg. hæc declaratur per positionem & remotionem, & quidem primò per pos. & ampliationem, ut nihil intersit, cujus sexus, status aut conditionis homo sit diffamans, nam & foeminæ, argum. l. 7. §. 1. ff. de jurisdic. l. 9. pr.

B

*ff. ad L. Aquil. l. 1. §. juxta ff. ad SC. Syll. Servi d. l. 7. §. 1. l. 14. de O. & A. l. 4. C. an serv. pro suo fact. filii famil. d. l. 7. §. 1. & l. 9. ff. de jurisdic. §. ultim. Inst. de nox. act. in dignitate positi & plebei, arg. l. 10. §. fin. ff. de pœnis, famosi & honesti, argum. l. 28. l. fin. de pœn. parci & prodigi, l. 1. ubi Dd. ff. de Curat. furios. diffamare possunt. Et facit quis porro diffamationem non solum per semetipsum, verum etiam per procuratorem & alios conducendo, nimirum persuadendo, aut mandando, argum. l. 11. pr. & §. 2. cum seqq. l. 15. §. 8. ff. de injur. Mundius h. c. 3. num. 15. & seq. Secundò per remotionem, quâ diffamare non intelliguntur ii, qui voluntate & facultate diffamandi destituti sunt vel ratione ætatis vel ratione morbi. Ætate excusantur à diffamatione 1. Infantes, argum. l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar. & l. 23. de furt. quales intelligimus non quosvis homines rudes ac ineptos, qui sensa mentis nec commodè nec intelligibiliter efferre possunt, Horatio *infans pudor est qui loqui non sinit*, & Lucretio lib. 5. *ibi, infantia lingue*, sed eos qui nondum septem annos nati sunt, l. 18. princ. C. de jur. delib. l. 14. ff. de sponsal. l. 1. §. 2. ff. de A. & P. T. nec intelligunt quid ipsimet loquantur, multò minùs quid agitur, l. 1. §. 13. ff. de O. & A. l. 1. princ. de V. O. §. 10. Inst. de inutil. stipul. ibiq; Interpp. 2. Impuberes infantia proximi, doli que nondum capaces, argum. d. l. 3. §. 1. ff. de injur. §. 18. Inst. de obl. ex delict. secus in iis, qui pubertati proximi sunt, & aliquem intellectum jam habent, hi enim cum doli & diffamationis capaces intelligant se delinquere, d. §. 18. Inst. ætatis suffragio non excusantur. argum. l. 1. C. si advers. delict. Coras. 6. miscell. 23. num. 1. 3. Senes decrepiti, qui juxta tritum illud bis pueri effecti intellectu carent, neque solo corpore, sed & animo consenuerunt; nam si vegeto adhuc sint judicio, à diffamationis delicto haud excusantur per l. Senectus. 16. Cod. de donat. l. 3. §. 7. ff. ad SC. Syll. §. 2. ff. de term. mot. ibiq; Dd. Confer Gail. 2. observat. 100. num. 34. Menoch. l. 2. A. F. Q. cens. 329. num. 21. Morbo scil. animi removentur 1. Furiosi, argum. d. l. 3. §. 1. ff. de injur. hi enim cum sint extra se positi, c. 15. X. de Regular. sanâ mente & intellectu careant, princ. Inst. de Inoffic. testam. l. 14. ff. de Offic. presid. diffamare non censentur, l. 53. pr. ff. de furt. l. 14. ff. ad L. Corn. de sicar. Intelligendum autem hoc est, non de furiosis, qui*

qui in l. 22. §. 7. ff. Sol. matrim. intervalla habere dicuntur, si-  
 quidem his in delictis tempore intervalli, quo sanæ mentis  
 fuerunt commissis impunitas non tribuitur, d. l. 14. ff. de offic.  
 presid. Gomez. 3. V. R. 1. num. 70. Carpzov. in Pr. Crim. part. 3.  
 quest. 145. num. 33. & seqq. neque de iis, qui ad evadendam de-  
 licti pœnam se furiosos simulant, l. 13. §. 1. inf. de Offic. presid.  
 ibiq. Gothofr. ut Eunus ille Syrus ap. Flor. l. 3. cap. 19. Sed de ve-  
 ris furiosis, qui cum ferocia continuo de mentes sunt. Covar-  
 ruv. in Relect. Clem. si furiosus p. 3. num. 2. de homicid. etiamsi hi suo  
 facto & culpâ in dementiam & furorem inciderint, culpa  
 enim ad casum minimè præmeditatum considerabilis non est,  
 l. non omne. 38. de statulib. l. 45. de O. & A. Confer Mundius h. c. 3.  
 n. 21. & seqq. Furiosis porro comparantur dormientes in l. 1.  
 §. 3. de A. vel A. P. c. majores. 3. §. item queritur. X. de Baptism. in  
 quibus cum cesset proæresis diffamandi. arg. l. 27. §. 9. ff. ad  
 L. Aquil. nec delictum diffamationis committunt. sapecit. l. 53. pr.  
 de furt. & l. 14. ff. ad L. Cornel. de sicar. Notandum autem, quòd  
 dormientes alii dicantur, quorum sensus ligati sunt & quietè  
 in lecto dormitant, alii qui forti imperante imaginatione bru-  
 torum imaginationi simillima in somno noctu surgentes de-  
 linquunt, And. Laur. l. 4. histor. Anatom. quest. 12. sicut de Anglo  
 quodam testatur Martin. Laudens. in d. Clem. si furiosus, qui no-  
 ctu dormiens Parisiis à templo D. Benedicti usque ad flumen  
 Sequanæ ivit, ibique puerum interemit, & non expergefactus  
 sese in lectum coniecit: Et de his loquitur assertio nostra, eâ in-  
 super cum limitatione, ut procedat, nisi dormiens habeat con-  
 suetudinem surgendi, maledicendi & lædendi alios, nec dili-  
 gentiam adhibeat, ut huic rei obvietur præcavendo omnia,  
 quibus futuro periculo consuleretur, tunc enim quia culpa ca-  
 sum præcessit, à pœna non planè excusabitur. arg. d. l. 27. §. 9. ff.  
 ad L. Aquil. vid. Seb. Medic. de fort. cas. p. 3. q. 5. n. 39. 2. Excu-  
 santur ebrii, ii scil. qui præter opinionem ob cerebri imbecil-  
 litatem, & sine sua culpa, utpotè cum focii ipsis insciis sal in  
 vinum conjiciunt, potum vino adusto miscent, aut similibus  
 casibus inebriantur, ut ob mentis alienationem & exilium  
 non intelligant quid loquantur aut faciant, neque etiam cul-  
 pa præcesserit casum, h. e. non computaverint ad hoc, ut deli-

Etum impunè cōmittere possent. *c. sane discimus 7. c. inebriarunt 9. caus. 15. quest. 1. l. 6. §. 7. vers. per vinum ff. de re militar. ubi Dd. Non adverstantur l. perspiciendum 11. §. 2. vers. impetu ff. de pœnis & Rôm. Kayserl. Man. vnd des H. Reichs Reuterbest / artic. 50. Item, Es soll durch den Marschalc /rc. in allen Mißhandlungen / so voller weiß durch Herren / Juncfern / Knecht / groß oder klein / Hans geschehen vnd straffbar sind / die Trunckenheit zu keiner entschuldigung / oder milderung der Straff angezogen oder angesehen / sondern vielmehr solche Verbrechen desto schärpffer / schwärer auch gedoppelt gerechtfertiget vñ gestrafft werden. Loquuntur enim hæc loca de ebriosis, qui ex habitu & perversa quadã consuetudine scientes, prudentesque inebriantur, die sich arm / franck / vnd in die Höll vollsauffen / daß sie einen weißen Hund für einen Müller ansehen / & sic delinquunt, quod delictum non debet manere impunitum, maximè si ebrii consueverint esse rixosi & excitare turbas, & alios verbis contumeliosis proscindere, neque ignorent se ebrios tali vitio laborare, quia tunc ebrietas censetur ad casum ordinata, proinde delictum non excusat, sed illud magis aggravat. vid. Farinac. in Pr. Crim. l. 3. tit. 10. qu. 93. n. 30. & seqq. Damhoud. in Pr. Crim. cap. 44. n. 15. Gail. 2. Obs. 110. num. 24. & seq. C. J. A. 47. ff. 10. th. 9. n. 5. Dn. Ludwell. ad l. 4. Inst. disp. ult. th. 5. sub. lit. a. Hornej. 3. Ethic. 4. n. 21. 3. Non difamant irati, hi namque toto conturbantur animo, rationis usum carent, sensibusque uti nequeunt, secundum illud Virgilii.*

*Furor iraq; mentem præcipitant.*

Et Joh. Heidfeld. in Sphing. Theol. phil. pag. 746. Ein zornig Mann ist nicht bey ihm selbst / vnd hat seine Sinn biß auff fünffe. Et iterum Horat. lib. 1. Epistol. vers. 62. & seq.

*Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi pareat  
Imperat hunc frenis, hunc tu compeſce catenâ.*

Et maximè non tenentur delicto diffamationis, si fuerint lacerati & repentina aliqua causa ad immodicam iram commoti. Confer Gail. d. Obs. 110. num. 35. & seq. Perez. in Cod. de sent. pasc. num. pen. & postea sedato animo pœniteant, ac diffamationem non consultò factam fuisse demonstrant per l. 3. ff. de divort.

l. 48. ff. de R. J. l. 5. C. de injur. Wesemb. in π. ff. de injur. num. 4.  
4. Denique non sunt hujus delicti rei amatores, siquidem illi juxta Senec. in alieno vivunt corpore. Et ut Propert. l. 2. Eleg. dicit, sine sensu, suntque similes furiosis, qui nesciunt quid agant Boer. decis. 23. n. 75. Schneidw. ad S. fin. Inst. de success. sublat. Eo fundamento nitebatur Terentianus ille adolescens, qui semet Eunuchum mentitus, cum paupulum quidam fecerat, deprecabatur, Contumeliæ se non fecisse causâ, sed amoris, confestim ab hera Thaide veniam simul & suffragium accepit; Et pol (dicente) propterea magis nunc tibi ignosco, non aded inhumano sum ingenio Chærea, nec tam imperita, ut quid amor valeat, nesciam. Terresiant qui philtra miscent. v. Carpz. in Pr. Crim. qu. 21. n. 2.

*Illā nocent animis vimq̄ furoris habent.* Ovid. 2. de arte.

§. 3. Subjectum passivum sunt Personæ, quæ diffamari possunt, pro quibus notanda regula: Omnes diffamationem pati possunt, qui facultate diffamandi non destituuntur. arg. l. 3. ff. de injur. Fallit hæc reg. 1. in impubere & sene decrepito, hi enim licet diffamationē facere nequeant secund. superius tradita, eam tamen patiuntur arg. d. l. 3. §. 1. dum lex diffamationem illis illatam ad animum quasi revocat. Gilhaus. in arb. judic. crimin. c. 2. tit. 34. §. 4. n. 3. & seqq. Et è diverso 2. banniti quanq. diffamare possint §. 3. art. 2. memb. 1. h. in p. poster. eam tamen pati haud intelliguntur, quandoquidē per declarationem banni non modò bonis, sed & famâ & dignitate adeoque subjecto recipiente diffamationem privati sunt. Gail. l. 2. de P. P. c. 15. n. 4. & c. fin. n. 1. Bocer. de Regalib. cap. 2. n. 116. quod autem quis non habet, eo privari nequit, cum omnis privatio præsupponat habitum. §. 4. Inst. & l. 3. §. 1. ff. de Cap. min. l. decem 116. de V. O. Cæterum patitur quis diffamationem immediatè aut mediatè; Immediatè, cum directò ei calumnia fit; Mediatè verò, cum ratione rerum aut personarum subjectarum contumelia per consequentiam in eum redundat; spectat enim ad nos injuria, quæ in his fit, qui potestati nostræ aut affectui subjecti sunt, l. 1. §. 3. ff. de Injur. Imò respectu liberorum, quos natura parentibus tam arctè junxit, ut eadem esse persona pe-

penè intelligantur, *l. fin. C. de Imp. & al. substit.* & filius fit portio & caro patris, ut loquitur & probat Dn. D. Peil. *in disput. inaug. de her. quæ ab intest. def. anno 1650. hic habitâ thes. 16.* Sic conjuges sunt una caro, *Gen. 2. v. 24. c. debitum §. X. d. bigam. non ord.* & uxor est pars viri, *c. admonere 8. caus. 33. qu. 2.* diffamatio denique uni ex familia facta ad omnes serpere dicitur *in l. 1. 2. & 3. ff. de liber. caus.* & bona sunt velut alter sanguis, *Gl. in l. 14. C. de adv. div. jud. cum nemo ex vento vivat, l. 2. C. de alim. pup. prest. Alciat 1. præf. 50.*

§. 4. Objectum sive materiam circa quam versatur diffamatio, dico personas & res. Personæ considerantur, quæ illarum status non corpus læditur, & hætenus diffamatio differt ab injuria, quæ etiam in corpus committitur, *§. 1. Inst. & l. 1. §. 2. ff. d. injur.* Status autem est duplex 1. Capitis, secundum quem alii liberi, cives, & patresfam. alii servi, peregrini & filii fam. 2. Dignitatis, quo alii honesti, idonei, legales seu in bona fama & existimatione positi, omni exceptione majores, & (ut vocant) authentici, alii notati, suspecti, infames, turpesque & intestabiles habentur. Marq. Freher *in tr. d. existimat. lib. 1. cap. 1. n. 11.* Rerum porro appellatione hæc veniunt omnes, quæ in patrimonio nostro sunt tam corporales, quàm incorporales. *v. t. t. ibiq. Interpp. Inst. d. R. C. & Incorp.*

§. 5. Succedit internarum causarum altera, nempe Forma, quæ consistit in cõstitutione & probatione diffamationis. Forma constituendi alia est Intrinseca alia Extrinseca. Intrinseca spectat substantialia diffamationis requisita, quorum 1. est Dolus; sine quo nullum committitur delictum. *l. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. Carpz. in pr. crim. p. 3. qu. 143. num. 11. Barbos. in thes. jurispr. l. 4. c. 12. axiom. 14.* Unde si quis juris sui conservandi causâ aliquid scripsit & de animo doloso non apparet, citatio ex *L. diffamari* in Camera non decernitur. *Schwanmañ observ. Cam. 165. num. 5. & seqq.* 2. Animus & voluntas, hæc enim ut cætera maleficia distinguit, *l. 53. pr. ff. d. furt.* sic quoque diffamationem; Nam ubi voluntas rectâ ad injuriam tendit, & fama seu existimatio alicujus manifestâ injuriâ sive contumeliâ afficitur, injuriæ delictum intelligitur commissum, competitque actio injuriarum. *t. t. ff. & C. d. injur.* Ubi verò de in-



de injuriandi animo apertè non constat, & tamen is qui per garrulitatem aut malitiam alicujus obliquè traducitur, ex hujusmodi traductione status sui gravamen vel bonorum incommodum ac periculum sentiret, diffamatio facta censetur & locus est saluberrimo Legis diffamari remedio. Blarer *h. in argum. n. 2. & seqq.* Mund. *c. 2. §. 1. n. 4. & seqq.* Gilhaus. *in arb. jud. crimin. c. 2. tit. 34. §. 3. n. 94.* Freher *in d. tr. de Existim. l. 2. c. 9. n. 17.* In eo quoq; distinguitur diffamatio ab injuria & cœteris delictis, quòd ad horum constitutionem nō sufficiat sola cogitatio, *l. 18. ibi Goth. ff. d. pœn. nec conatus, l. 1. §. 1. ff. d. injur. l. 1. §. 2. inf. ff. Quod quisq; jur. in alt. stat. sed requiritur actus l. 4. ibi hære consistunt ff. d. O. & A. pr. Instit. d. oblig. ex delict. l. 23. princ. & l. 25. princ. ff. ad L. Jul. de adult. Dn. D. Tabor in tract. Racem. 1. thes. 24. & seqq.* At ut remedium l. nostræ competat sufficit, quem diffamationem & inquietationem futuram timere, licet ipso actu nondum diffamatus sit. Marant. *in Spec. aur. p. 4. dist. 21. num. 3.* Blarer *h. in argum. n. 6.* Gilhaus. *d. tit. 34. §. 3. num. 97. 3.* Requiritur, ut diffamatio fiat certâ delicti aut facti specie expressâ, nam si quis generaliter aliquem impium & pessimum hominem dixerit, nulla diffamatio facta intelligitur. Blarer *h. in summa n. 5.* Mund. *c. 2. §. 12. n. 16.* 4. Deniq; necesse est, illam factam esse sine causa, nam si diffamans occasione suæ possessionis vel alterius juris diffamaverit, & ita præsumptionem calumniæ vel malignitatis excludat, remedium legis nostræ non habebit locum. Cæs. Contard. *h. c. 4. n. 78.* Gilhaus. *d. §. 3. num. 102.* Forma extrinseca diffamationis consistit in circumstantiis 1. Loci, quod diffamatio possit fieri ubique & tam præsentem, quàm absentem diffamato apud alios. Mund. *c. 2. §. 4.* & hoc posteriori casu diffamatio est delictum tanto gravius, cum præsentem imminenti periculo & malitiæ occurrere & se defendere possint, absentes verò nescientes sine ulla defensione famam si non perdunt, at tamen opinione hominum ejus aliquam jacturam faciunt *argum. l. honori 2. ff. de obseq. par. & patr. præst.* Et sanè hujusmodi diffamatores Veteribus maximo semper fuisse odio constat ex illo Horatii *l. 1. Serm. Sat. 4.*

————— *absentem qui rodit amicum*

Qui

*Qui non defendit, alio culpante, solutos  
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis;  
Fingere qui non visa potest, commissâ tacere  
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

2. Qualitatis, qua diffamatio alia est major sive atrocior; alia minor, sive levior; Atrocitas autem æstimatur ex facto, loco & persona. *S. atrox. 9. & l. sed est 9. ff. d. injur.* Hinc versus:

*His tribus ex causis diffamia dicitur atrox.  
Facti, personæ, vel loci, de ratione.*

Certâ tamen regulâ definiri nequit, quæ diffamatio atrox sit, quæ levior, ideoq; iudicis arbitrio committendum, qui etiam considerabit consuetudinē regionis. *Menoch. de A. F. Q. cent. 3. cas. 263. num. 2. Carpz. in Pr. Crim. p. 2. qu. 100. n. 1.* Committitur quoq; diffamatio verbis, iisque ore vel scripturâ prolatis, & facto, veluti si quis possessione suâ alibi degens citra cognitionem spoliatur, aut turbatur. *Myns. 5. obs. 81. n. 203.* ubi ita in causa Archiepiscopi Moguntini contra Ducem Saxonie citationem ex Lege nostra decretam fuisse testatur, idemq; alio præiudicio confirmat. *Rutg. Ruland. in tr. de Commiss. p. 3. l. 8. c. 4. num. 27.* 3. Quantitatis, quâ quis uno pluribusve convitiis specificè expressis traducitur. Et hæc de forma constituendi: Probatur porrò diffamatio vel directè, vel indirectè. Directè 1. per acta publica, *Oldend, h. n. 5. inf.* quæ rem faciunt notoriam, *l. fin. C. de re jud. c. ult. d. Cohab. Cleric. Græven. in concl. pr. 134. n. 7.* nullamq; extrinsecam probationem exigunt, *l. 31. C. de donat. Gail. 1. O. 31. num. 10. Mynsing. 4. obs. 4.* 2. Testibus idoneis, *Ord. Cam. p. 2. t. 25. S. daß auch Cammerichter/rc. Blarer. h. c. 1. n. 9. & c. 10. num. 14.* iisque ad minimum duobus per *l. 12. ff. de testib. c. pluralis 40. de R. F. in. 6. Mund. h. c. 5. S. 3. n. 102.* 3. Literis & epistolis diffamantis, text. in *Ordin. Cam. cit. l. Gail. 1. O. 10. n. 8. Mynsing. 3. O. 78. num. 3. Schwanmañ l. 2. process. c. 2. num. 19.* aliisque fide dignis documentis *d. t. 25. in Ord. Cam. ibi. oder ander gläublichen Brfunden vnd anzeigen/rc. ibiq; Koch. S. tertio quoq; Mynsing. 5. obs. 81. n. 5. Denais. in Jur. Cam. tit. Lex diffamari 174. S. 4. & 5.* Etiam 4. picturis famosis. *Consueverunt enim inquit Gail d. observ. 10. n. 8.* Creditores

tores debitores morosos ex pacto & conventionē famosis pi-  
cturis traducere, easque picturas publicè proscribere. Indi-  
rectè probatur diffamatio per indicia. Mund. h. c. 2. §. 5. num. 3.  
v. latè Carpz. in Pr. Crim. p. 3. qu. 120. & seqq. Rosbach. in Pr.  
Crim. t. 5. c. 2. & seq.

## M E M B R U M II.

*De*

### E F F E C T I B U S.

**H**Actenus de Causis diffamationum, sequuntur Effectus,  
quorum alius est primus, nempe obligatio ad pœnam,  
*argum. Rubr. & t. t. Inst. d. oblig. ex delict.* alius secundus seu ex  
priori ortus, qui elucet in Remedio seu actione adversus dif-  
famationes competente, qua de in seqq.

## P A R S P O S T E R I O R

### P R A C T I C A.

**C**Ognito ipso diff. delicto, dicendum jam est de ejus Re-  
medio, quod est Condictio ex lege diffamari *argum.*  
*l. i. ff. d. Cond. ex L. Blarer. h. c. i. n. 4.* Hæc consideratur in se  
& in collatione cum aliis; In se & absolutè per Consentanea  
& dissentanea; Consentanea absolvuntur causis, Efficiente  
nimirum Materiali, Formali & Finali.

## M E M B R U M I.

### A R T I C U L U S I.

*De*

### C A U S A E F F I C I E N T E.

§. I.

**C**Ausa efficiens partim principalis est, partim minùs prin-  
cipalis. Principalis alia est remota, alia propinqua; Mi-  
nùs principalis est Impulsiva.

C

§. 2. *Causa efficiens remota conditionis ex L. diffamari* sunt Imperatores Diocletianus & Maximianus; Hi namque cum probè cognitum ac perspectum haberent, Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed & legibus oportere esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè gubernari possit, *princ. Proem. Instit. & bella gesserunt gravissima. vid. El. Reufner. Isag. histor. l. 2. tit. Aquilæ Rom. Senectus. Behold. in Synops. histor. cap. 14. & leges tulerunt utilissimas pass. per t. Cod. quas inter haud postremas tenet L. diffamari C. de ingen. manum. veluti ex inscriptione constat; Et hujus L. dignitas atque utilitas, inquit Mund. h. cap. 3. num. 6. sic sese exerunt, ut qui eas laudare & describere velit, soli facem prælucere conetur, Quapropter etiam insequentibus Imp. in Recels. Spiræ anno 1531. §. item nach dem auff jüngstgehaltenen/re. & Augustæ 1632. §. nach dem auch auff den/re. habitis & in Renov. Ordin. Camer. p. 2. tit. welcher gestalt am Cammergericht ex L. diffamari gehandelt werden möge/re. 23. & alibi illam præ omnibus legibus in lucem revocarunt, novo splendore decorarunt, & perpetuè in vigore esse voluerunt.*

§. 3. *Causa propinqua sunt actiones & Controversiæ*  
1. *Criminales*, veluti si quis de crimine læsæ maj. homicidii, & adulterii, furti & similibus passim aut apud Superiores malitiosè differtur, potest remedio legis nostræ uti & vitæ ac famæ periculum evitare. *Wesembec. conf. 96. num. 3. volum. 1. Cacheran. decis. 151. num. 5. & seqq. Schurff. centur. 1. consil. 34.*  
2. *Matrimoniales*, nam si quis puellam habeat desponsatam, vel illâ sibi desponsari cupiat, & inveniatur alius, qui sibi datam fidem errore vel malignitate præterdat, & ita matrimonium impediat, maximè diffamati interest, antequam secundum mores modernos publicè è suggestu coram Ecclesia proclamatio fiat, prius de eo ex L. nostrâ experiatur, & sic se securum reddat, *Blarer h. c. 2. n. 23. Gilhauf. d. tit. 34. §. 3. n. 101. Quo modo Coburgi anno 1619. d. 2. Martii processus petitos & decretos, postq; causam finitam demùm proclamationem factam fuisse refert Mundius h. c. 4. n. 102.*  
3. *Civiles*, eaq; tam personales, quàm reales, & tam petitorii quàm possessorii judicium.  
E. G.

**E.G.** Si quis se creditorē alicujus hinc inde jactet, vel rei, quam alius legitimè tenet, sed dominū falso & iniquè asserat, hāc q̄; ratione proximi fidem apud bonos & honestos viros suspectam reddat atq; efficiat, ut ille non tam promptè, ut antea negotiationem exercere, vel rei emptores invenire possit. Blarer *h. c. 2. n. 13.* Mundius *cap. 2. n. 17.* Sic impediens & turbans aliquem in possessione juris vel privilegii, putà nobilitatis, venationis, Salvæguardiæ, &c. tenetur condictione L. nostræ. Schwarzenmeyer *l. 1. miscell. jur. cap. 13.* ubi scribit, eo ipso tempore, quo is Spiræ vixit, accidisse, ut quidam nobilitatis privilegio donatus Palatinus incola contra alium quendam suum vicinum, qui id deesse ei objecerat, ex L. nostrâ ad restitutionem detracti honoris ad pœnam privilegio insertam egerit, cui processus non modò non denegatus, sed & reus ad instantiam actoris ad tribunal citatus fuerit; Quemadmodum & is, qui verosimiliter molestari timet, hoc remedio L. nostræ sibi consulere & futuram molestiam evitare potest. Gilhaus. *d. §. 3. num. 97.* & hoc maximè inter Principes locum habere dicit Mundius *h. cap. 4. num. 115.* ne scil. magno Subditorum incommodo ad arma veniant, & sic suo tempore cum magna tamen deliberatione Archi-Episcopo Trevirensi contra Reginam Mariam & Brabantinos processus decretos fuisse testatur Myns. *5. obs. 81. num. ultim.* Hoc tamen in casu requiri, ut is qui de alterius molestiâ in rebus suis timet, eidemque silentium imponi petit, rem possideat, tradit Blarer *h. cap. 2. n. 9.* Gilhaus. *d. n. 97.*

4. Feudales, nam si dominus feudum amissum esse jactet, Vasallus eum actione L. nostræ convenire potest. Goth. Ant. *disput. feud. 13. thes. 3. lit. g.* Sic quoque alius, possessionem feudi ad se spectare proclamans, eâdem actione tenetur. Mynsing. *3. Obs. 38.* Rosenthal. *cap. 10. conclus. 40. num. 16.* Et dispositionem *h. l.* sibi etiam in materiâ feudali vindicare sedem, confirmant Cæs. Contard. *h. c. 3. num. pen.* Gilhaus. *d. §. 3. num. 96.* Mund. *c. 4. num. 1.* Summatim Lex diffamari in omni genere causarum & actionum locum obrinet. Blarer *h. cap. 1. num. 6.* Mundius *in Proœm. num. 15.* C. J. A. *47. ff. 10. th. 36.* & Oldendorp. *hic in princ.* ubi ait: nulla unquam lex est scripta, quæ plures in natura habeat causas, quæque hisce corruptis tem-

poribus magis conveniat, quàm hæc. Hinc factum, ut præ-  
illius conditione nulla alia actionis formula in foro celebrior  
atque frequentior, teste Mundio *in d. proæm. num. 16.* Judex  
prudens tamen prospicere debet, ne illâ in levibus & indignis  
passim, sed exemplo Camerae Imperialis in gravioribus sal-  
tem, ut post dicitur, causis diffamatis uti permittat. Blarer  
*h. cap. 1. num. 8. circa fin.* Sicut è contra quando apud ipsum ali-  
quis de crimine V.G. differtur, non præcipitare iudicium, *l. nec*  
*quicq. §. ubi decretum ff. d. Offic. procons.* nec ad nuda inculpantis  
narrata diffamatum condemnare debet, *cap. 1. ibiq. CC. X. de Con-*  
*fess. Gail. 1. Obs. 13. n. 1.* sed personæ differentis sive accusantis  
qualitate, moribus, omnibusque conditionibus diligenter in-  
spectis, Damhoud. *in Pr. Crim. cap. 6. num. 12.* & probabili de  
veritate criminis acceptâ informatione & notitiâ accusatum  
citabit illiusque defensiones audiet. *Genes. 3. c. Deus omnipotens.*  
*caus. 2. qu. 1. l. 47. princ. ff. d. re judic. & l. 8. cum seq. C. Quomod.*  
*& qu. jud. exemplo Alexandri M. qui referente Gailio in l. 1.*  
*de PP. cap. 5. num. 2.* in causâ criminali aliquando pro tribu-  
nali alterâ aure oclusâ accusationem audiens, de hoc cur fa-  
ceret interrogatus, responso dabat, alteram reo integram ser-  
vo; Hinc illud distichon:

*Cur geminas homini concessit Jupiter aures?*

*Posit ut hæc laesis, illa patere reis.*

Eod. sensu Phocilides:

*Non fer iudicium, si non sunt ambo locuti.*

Et minùs properabit iudex, quando diffamatus est absens,  
*c. absens. 18. caus. 3. qu. 9. ubi CC. præsertim Reipubl. aut aliâ ju-*  
*stâ & probabili de causâ, l. absentia. 140. ibiq. Dd. ff. de Reg. Jur.*  
tùm enim vel exspectabit ejus reditum, vel si pro diffamato  
sint certa indicia, ut si fœmina maritum vel juvenem de adulte-  
rio vel stupro inculpans sit persona obscura & levioris condi-  
tionis; diffamatus verò sit homo legalis bonamque famam,  
quæ omnem sinistram suspicionem expurgat. Cravetta *con-*  
*sil. 72. num. 22. Rol. à Vall. conf. 38. num. 34. Marq. Freher. in tr. de*  
*fama. l. 2. c. 10. num. 19.* habeat consentientem, eo casu innocen-  
tem diffamatum sive accusatum absolvet *per l. 42. ff. de poen. c. ult.*

*X. d. sent.*

*X. d. sent. & re judic. & temerariam inculpantem non modò ad  
 palinodiæ, sed etiam ad pœnæ præstationem pro arbitrio con-  
 demnabit. Carpzov. in J. F. p. 4. Constit. 45. def. 3. ubi id seq.  
 confirmat præjudicio. Hat Inquisitin im Januar. jüngsthin ein  
 vnehliches Kind zur Welt gebracht; Ob sie nun gleich H. C. von R.  
 den Jüngern bezüchtiget / daß wie sie in seines Vattern Diensten  
 gewesen / Er sie sechs Wochen vor Johannis des verwichenen 1620.  
 Jahrs fleischlichen erkant / darvon sie schwanger worden; Da aber  
 dennoch H. C. von R. dessen nicht geständig / noch sonst richtige  
 indicia wider ihm vorhanden / etc. So möchte er auch daher vor  
 dem Vatter zu diesem Kinde nicht geachtet werden / sondern es were  
 oberwehnte Bettel wegen angeführter Bezüchtigung ihme einen  
 öffentlichen Widerkuff vor Gerichte zu thun schuldig / vnd möchte  
 hierüber entweder noch ein zeitlang mit Gefängnuß gestrafft / oder  
 auff ein zwey oder drey Jahr lang ewerer Gerichte verwiesen wer-  
 den / B. N. B. Hæc ubi iudex non observat, & ad solam in-  
 culpantis narrationem & petitionem absentem accusatum in-  
 auditum condemnat, eumq; vel alium ejus nomine ad judica-  
 ti solutionem constringit, judicis nomen amittit & privato  
 spoliatori comparatur. Bartol. in l. 2. §. fin. ff. de Custod. reor.  
 Decius in l. f. col. 10. C. de Edict. D. Hadr. toll. Cravetta cons. 124.  
 n. 4. proindeq; tenetur iniquè condemnato de spolio, syndica-  
 tu, &c. & quod omnium maximum est, animæ incurrit peri-  
 culum. vid. Ayrer in process. suo l. 1. cap. 6. observ. 3. num. fin. Su-  
 periori porrò generali conclusioni nō refragatur, quòd L. diffama-  
 mari solùm in casu diffamati status ingenuitatis loquatur, à li-  
 bertate autem, cujus favore multa contra rigorem juris consti-  
 tuta sunt, §. fin. Inst. de donat. l. 24. §. 10. inf. de fideicomm. lib. ad  
 similia facile argumentari haud permissum, per l. 14. ff. de LL.  
 l. 141. pr. l. 162. ff. de Reg. Jur. & aliàs leges Cod. ad certam facti  
 speciem enatæ ultra eam non producendæ. Harpr. ad §. si quis  
 autem à non dno. 35. Inst. de A. R. D. n. 70. & ad pr. Inst. quib. mod. re  
 contrah. obl. num. 28. Nam licèt verba d. l. nostræ de diffamatio-  
 ne status ingenuorum solummodò concepta sint, id tamen  
 non vetat, ut ob rationis identitatem illa ad similes & alios ex-  
 tendatur casus, quandoquidem lege continetur non tantùm,  
 quod verbis legis exprimitur, sed & quod sententiâ & mente,*

sive ratione legis per certam ratiocinationem indicatur & eruitur. *l. 6. §. 1. ibiq.* *Gædd. n. 11. & seq. ff. de V. S. l. 12. 17. & l. 29. ff. de LL. c. fin. de Reg. Jur. in 6.* Quinimò legis ratio potius quàm verba inspicienda sunt, *l. 13. §. aliud etiam. 2. ff. de Excus. tut. l. pen. ff. ad Exhib. Menoch. 1. consil. 11. num. 10.* Ratio autem legis nostræ, sicut ex ipso textu satis luculenter apparet, & in *§. seq.* indicabitur, generalis est, proinde & ipsa lex, ut generale remedium contra quasvis malorum hominum venenatas diffamationes, quibus famæ ac dignitati, vel bonis & possessionibus noceri ac incommodari potest, locum obtinet, *arg. l. 67. §. fin. & l. 77. §. 20. ff. d. leg. 2.* Blarer *in præfat. pag. 5.* Zœl. *in Comm. ff. de manumiss. num. 25.* præsertim cùm non ambigendum, quin Impp. si in simili famæ aut diffamationis casu consulti eodem planè modo responsuri fuissent. Mundius *h. c. 4. num. 55. & 58.* Præterea non movet, quod Mazoll. *consil. 14.* ex *L. nostræ* verbis, errore vel malignitate, per arg. à contr. deducit, videlicet diffamantem cùm causâ & ratione alicujus juris non teneri Conditione *L. nostræ*, proinde illam non universaliter in omni genere causarum locum habere. Hoc quippe civiliter intelligendum est, & eo in casu tantùm procedit, quo causa talis subest, ut omnem diffamationem & injuriam abesse noscatur, id namque nisi certum sit, conditioni *L. nostræ* locus relinquatur, cùm fieri possit, ut actus quantumvis per se legitimus & justam habens causam nihilominus injustam & indignam contineat molestiam, si scil. præter rationis debitum expediatur, vel alias incongruo loco & tempore fiat, vel denique non juris persequendi, sed ulciscendi & vexandi causâ exerceatur. Denique nihil facit, quod idem Mazoll. *in d. consil. 14. num. 31.* scribit: Remedium *L. nostræ* ex injuriarum fonte dimanare, nec locum habere, nisi verbalis aliqua jactantia præcesserit; Nam imprimis falsum est, quòd diffamatio ad sui substantiam præcisè requirat verba, sed ut ex superioribus constat, fit quoque factò, veluti quando quis alterum in possessione rerum suarum turbat; Deinde licet d. Remedium ex injuriarum fonte dimanet, inde tamen non sequitur, id cum actione injur. idem esse, nec generaliter in omnibus controversiis, sed in iis solùm, è quibus injuriarum  
compe-



competit, locum habere, siquidem plurimis ab invicem differunt modis, quorum numero est, quòd illud non sit actio, quâ quis sibi aliquid applicari petit, sed qua se suaque defendit & propugnat. Vid. *infra artic. 3. §. 3. & seq. h. membr.* Cæterum ab hâc juris communis dispositione discrepat Jus Camerale, quo Constitutio L. *diffamari* non in omni genere causarum, sed solum in causis violatæ pacis publicæ, atrocium injuriarum & similibus locum habet text. in Ord. Cam. p. 2. t. 25. *ibi.* In Friedbrüchigen/Schmach vnd andern dergleichen Sachen/10. Blarer h. c. 1. num. 8. Gail. 1. O. 9. n. 1. Schwanmañ *observ. Cam.* 161. n. 4. & *diff. jur. Civ. & Cam.* 23. num. 3. Quænam autem sint istæ similes causæ? inter Dd. non convenit: Etenim Casp. Koch *ad princ. d. Ord.* putat eas, quæ famam & existimationem hominis quoquo modo lædunt; At Gailius 1. O. 10. n. 5. per similes causas intelligit omnes, ex quibus publicum scandalum oriri & tranquillitas imperii quomodocunq; ob factam traductionem perturbari queat, quæ omnes ex judicis prudentis arbitrio pendent; Et hanc interpretationem textui *d. Ord.* magis respondere dicit Schwanmañ *d. O.* 161. num. 8. eamque approbare videtur P. Denais. *in Jur. Cam.* 174. §. 2. quando dicit: Lex *diffamari* in Camera intelligitur & exercetur in causis fractæ pacis, *injuriarum*, aliisque similibus, quibus *diffamatio dolo malo inve necem alienam intervenisse dicetur.*

§. 4. Causa impulsiva, quæ Imperatores movit ad hanc legem ferendam, poni potest duplex. 1. Προηγουμένη, pluralitas scil. seu multitudo invalescentium diffamationum, *pr. l. diffamari. C. de ing. manum.* 2. Προκαταρκτική, æquitas tum naturalis, naturâ enim æquum est, hominem homini non insidiari, *l. 3. ff. de j. & j.* ac calumniantium malitiis ac futuris fraudulentis actionibus obviare & prævenire, *l. infundo 38. ff. de R. V. l. 74. ibiq; Dd. ff. d. R. J.* Blarer h. c. 6. num. 89. tum Civilis, quæ non modò privatim, sed etiam publicè utile est, vexationum & litium ansam rescare. *l. properand. 13. C. d. judic. l. quisquis 6. §. 1. & 4. C. d. procurat. l. litibus 20. C. d. agricol. & Censit. lib. 11.* & eleganter Vir Excellentissimus D. Henric. Salmuth. Jun. J. C. celeberrimus, Patronus & Præceptor meus quondam  
Bremæ.

Bremæ summâ cum observantiâ colendus, in Epigramm. suis legal. dec. 1. Epigr. 4. n. 7.

*Ecquid in immensum refert excrefcere lites?*

*Quid litem ex mota nectere lite juvat?*

*Diminue, abbrevia iudex & iurgia fini.*

*Publica res & lex te properare jubent.*

Lites enim velut gangræna hominem devorant. Hering. in tr. de fidejuss. c. 1. n. 25. ut propterea quidam jus indiscussum relinquere, quàm iudicio contèdere malint, scientes, utiliùs esse macre concordium quàmvis pingui sententiâ. Knich. de Sax. non provoc. jur. verb. jus cap. 3. n. 73. & seq. & satiùs dimidium ejus rei, quæ petitur, amittere, quàm pro tota litigare. Gomez. in c. dispendia d. Rescrip. in 6. Lites quoq; sive discordiæ in Rep. sunt ejus venenum & præcursor ruinæ, ait Bodin. in l. 4. d. Rep. c. 1. num. 386. & P. Greg. d. Republ. l. 23. c. 3. num. 4. ubi ex Bald. in l. 111. C. d. Caduc. toll. partialitatem in Civitate dicit esse tanquam vermem in caseo & juxta, Barbat in c. licet 9. col. 5. x. d. probat. portam patentem ad introducendos hostes.

## ARTICULUS II.

*De*

### CAUSA MATERIALI.

§. I.

**M**ateria est vel Subjectiva, vel Objectiva: Subjectum aliud est agens, aliud patiens.

§. 2. Subjectum activum Conditionis ex L. diffamari sunt personæ, quibus illud beneficium datur; Datur autè omnibus, qui diffamantur. Regula hæc declaratur 1. per ampliationem, quâ Condiçtio hæc competit diffamatis non modò, si immediatè in propriâ personâ diffamationem patiuntur, sed etiam si mediatè respectu personarum, vel rerum ad se pertinetium aliquam calumniam sustinent. Confer. art. 2. §. 3. p. prior. Imò etiam,

etiam ii, qui actu nondum diffamati sunt, futuram tamen diffamationem & molestiam verisimiliter timent, h. l. remedio uti & diffamationes quàm primùm & antequam in publicam excrescant vocem, rescare non modò possunt, sed & debent, cùm melius sit in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quærere, *l. ultim. inf. C. ex quib. caus. in J. R. non est necess. l. 1. C. quand. lic. unic. sin. jud. & c.* & turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes. *c. Quemadmodum 25. X. d. jurejur. exempla vid. apud Blarer h. c. 2. num. 14. & seqq.* Hæredibus quoq; diffamati Condictio ex L. diffamari competit, *arg. S. 1. Instit. de perp. & temp. act.* Nec obstat, quòd in eod. *S. & in l. 1. S. 1. d. priv. delict. l. 13. pr. & l. 15. S. 14. d. injur.* actio injur. cujus Condictio nostra à Cothmanno in *Conf. 4. n. 31. vol. 2.* & aliis dicitur præparatorium, denegetur hæredibus; Ratio enim denegationis, quæ est, quòd injuria tendat ad vindictam, *Dn. D. Tabor in Racem. ad l. 47. ff. 1. th. 53.* cessat in Conditione nostra. *v. S. 4. h. art. 2.* Deinde Condictio hæc nō dicitur simpliciter præparatorium injur. sed κατὰ τιν, quatenus videlicet diffamans post impositum silentium non desistit à diffamatione, quòd tunc actio injuriarum cum aliis eidem succedit. *Cothman d. conf. 4. num. 31. Weseemb. vol. 2. conf. 96. num. 5. 2.* per limitationem, quâ uxor si diffamatur non ipsa, sed ejus nomine maritus contra diffamatorem experitur. *S. 2. ibi defendi uxores à viris Instit. & l. 2. ff. d. injur. add. Gail. 1. O. 133. An idem in Sponsa? argum. l. 1. S. 3. l. 15. S. 24. ff. d. injur. Gilhaus. d. t. 34. S. 5. num. 19.* Sed an excommunicatis & bannitis (qui hæctenus æquiparantur Cæs. Contard. *h. c. 4. num. 83. Mund. c. 4. n. 134.*) remedium legis nostræ competat? *Aff. Joh. Ferrarius in sua pract. p. ult. cap. ult. Feder de seni in conf. 275.* & nonnulli alii ex eo, quòd remedium hoc sit species defensionis, defensio autem omni jure est permessa. *Exod. 22. v. 21. c. dilecto 6. d. sent. excomm. in 6. l. 1. S. 11. ff. si quadr. paup. fec. dic. l. 3. junct. l. 1. S. ult. ff. d. j. & j. l. 11. S. 1. ff. Quod met. caus. 2. Feud. 27.* & nemini deneganda, *clém. pastoralis. 2. vers. caterum defectus, ubi CC. comm. d. sent. & re jud. Dn. D. Tabor in addit. ad Barbos. in th. jurispr. l. 9. c. 9. axiom. 4.* Sed in contrariam ac veriolem sententiam sunt *Blarer h. c. 2. num. 24. Contard. c. 4. n. 82. Mund. c. 4. num. 145.*

D

Gilhaus. d. tit. 34. §. 3. n. 106. & Dd. comm. per c. felicis. §. ibi, nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur, de pœn. in 6. Ratio est, quod banniti amittant ea, quæ sunt juris Civilis, hujusque extra protectionem ponantur, arg. l. 5. §. 1. ibiq, Bart. ff. d. Cap. min. idemque ex declaratoriâ banni formulâ: *Sehen ihn auß dem Frieden in Unfrieden* /c. à Gailio in l. 2. d. PP. c. 6. n. 10. traditâ liquet; Lex diffamari autem est juris Civilis remedium per jura & Dd. comm. Deinde ad hoc ut excommunicatus audiatur, necesse est, ut sit reus necessarius, in hoc iudicio autem esset voluntarius, licet enim propter diffamationem stimulatus ad iudicium veniat, non tamen in iudicio comparet pro necessaria sui defensione, prout requiritur, sed voluntariè se offert. Blarer h. c. 2. num. 25. & seqq. ubi hoc limitat, procedere in excommunicato excommunicatione majori, secus si minori tunc enim agere posset. c. fin. x. d. cleric. excommun. Contard. h. c. 4. num. 82. ante fin. Gilhaus. d. §. 3. n. 107. Non obstat prædicta regula, defensionem scilicet nemini auferendam, quia illa procedit, quoties offensio est illicita. Bald. in l. 3. C. de his qui ad Eccles. confug. Banniti autem & ab Imp. proscripti licet offenduntur, text. in Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. So jemand /c. Carpz. in Pr. Crim. p. 3. quest. 140. num. 18. & seqq. ubi vid.

§. 3. Subjectum passivum sive personæ, adversus quas remedium legis nostræ competit, sunt diffamatores sine ullo sexûs aut conditionis discrimine, etiam maximè privilegiati, aded ut nullus in universo Imp. Romano aliquo jure seu exceptione se contra citationem ex hac lege nostra in Imperiali iudicio adversus se impetratam, tueri queat. Blarer h. c. 4. n. 21. Wesemb. d. conf. 96. n. 4. Sic ante multos annos contra Regem Daniæ processus decreti & anno 1592. d. 10. Martii in causâ A. contra R. H. als D. B. welcher angeschlagen / daß er Schussherr über A. seye / Dnn. Camerales unanimi consensu processus decernendos putaverunt; unum obstitit, daß Kaysersl. Majest. mandirt in dieser Sachen der Statt A. nichts zu decerniren. Symphor. supplic. tom. 3. Rubr. Lex diffamari §. lex diff. etiam locum habet, &c. Ampliatur præterea ut diffamatores teneantur Conditione legis nostræ non solum si ipsimet diffamationem

tionem fecerunt, sed etiam si eam per alios procurarunt, arg. S. II. Inst. & l. non solum II. ff. d. injur. quod enim quis per alium facit, hoc ipse facere intelligitur. c. qui facit 72. d. R. J. in 6. l. 1. S. de jecisse ff. d. vi & vi arm. Quo in casu integrum est diffamato mandantem an mandatarium convenire velit, cum utrumque sibi habeat obligatum. arg. d. l. II. pr. & S. 3. d. injur. Utrum autem diffamatores inviti teneantur? dubitare facit, quod hi, ut post probabitur, sunt actores, diffamati verò rei, invitus autem nemo agere vel accusare cogitur. l. un. C. ut nem. inv. ag. vel accus. cog. l. 19. ff. d. accus. l. f. C. d. Usur. pup. & reus non prius, quàm actor jus in judicium deducere potest. l. 5. S. non sicut 6. ff. d. dol. & met. except. l. qui alterius 42. ff. d. R. J. Rationes verò decidendi sunt 1. quòd d. l. unic. non procedit, quando quis seipsum ad agendum adstrinxit. Hartman. §. observ. 2. diffamator autem eo ipso, quod diffamat ad judicem diffamati provocare, proinde agere velle creditur. Dn. D. Tabor in not. ad C. J. A. §. ff. 1. thes. 201. ut diffamatus cum jam sit provocatus ad causam se contra diffamatoris impetitionem conditione legis nostræ rectè defendat. 2. d. l. §. 6. in exceptionibus quæ vim actionis habent, & sine expectatione adversarii intentari possunt, locum non invenit. Card. Zarabella in clem. 1. de re judic. siquidem tutus exceptione implorando officium judicis, ut perpetuum actori imponatur silentium, antequam conveniatur agere potest. l. 28. S. centum 8. ibi Gl. ff. d. lib. leg. Johan. de Imola in c. cum sit generale 8. X. d. for. compet. Porro unius diffamantis ratione quicumque alii prætendentes jus in re diffamati & contradicere volentes per judicem citari & generali judicio legis nostræ gravari possunt, per auth. si omnes C. si min. ab her. se abstin. siquidem Reip. maximè interest, nec minùs privatorum salutem respicit malitiis hominum obviari, & rerum dominia non in incerto esse, atq; lites quantum fieri potest amputari per jura vulg. Et hoc communis Italiæ Bald. in auth. si quis ab aliquo C. de testib. & Franciæ Consuetudo observat Boer. decis. 158. eamque sententiam in omnibus benè institutis judiciis recipi ac servari debere monet Blarer h. c. 6. n. 9. inf. Denique banniti tametsi secund. dicta in S. precedenti conditione legis diffamari experiri nequeant, ead.

tamen rectè conveniuntur. Ratio est, ne quod contra ipsos inductum, in ipsorum favorem & commodum redundet. Gilhauf. *d. S. 3. num. 105.* Dn. D. Tabor *in diss. ad Wesemb. 12. qu. 1.* & hanc sententiam juri & veritati magis consentaneam dicit Mundius *b. c. 4. n. 167.* eamque præjudicio Camerali confirmat Schwannmañ *observ. 47. num. 5.* Nec obstat, quod *in c. 84. de R. J. in 6.* dicitur: non esse concedendum unâ viâ, quod denegatur alterâ, nam quod bannitus in jus vocetur & comparere teneatur, hoc fit non tam in sui quàm diffamati favorem, Zasius *in l. nulla juris 25. num. 29. ff. d. LL. & æquitatem judicantis, ne claudicet iudicium.* Gail. *2. d. PP. 12. num. 18.* Sed quomodo banniti citandi? Georg. Schulz *in process. jud. p. 1. c. II. num. 33.* & alii putant, eos citari debere, ut per procuratorem, non verò in personâ compareant, *per c. intelleximus 7. d. judic. l. 20. pr. de minorib.* Alii juxta stylum in aliis id generis causis receptum citationem decernendam existimant, & horum secundum sententiam in Cam. Imperiali conclusum fuisse refert Schwannmañ *d. obs. 47. n. 4.*

*S. 4.* Subjectum excipit Objectum. Datur autem Condicio ex *L. diffamari* ad hoc, ut diffamanti certus ad agendum præfigatur terminus, aut si non agat, imponatur ei perpetuum silentium. *text. & Dd. in l. n. Carpz. in J. F. p. 4. Constit. 42. dif. 15. num. 4.* Silentii vocabulum hîc non accipitur propriè & strictè pro desistentiâ à verbali jactantia, sed latius, quatenus denotat cessationem à quacunq; molestiâ & inquietatione; nam ex superioribus constat, diffamationem non solum verbis, sed etiam factis & re ipsâ committi, ita ut tradente Mundo *b. c. 4. num. 72.* ad fundandam actionem ex lege nostrâ sufficiat qualiscunq; actus inquietativus, tametsi quoque ordinariâ actione agi possit. Expensæ etiam circa hanc litem factæ in libello rectè petuntur, & in hac diffamator intra terminum non comparens, præterquam quod illi perpetuum à iudice imponitur silentium, diffamato legitimè condemnandus venit, duplici namque de causâ diffamator earum pœnam incurrit, 1. quòd diffamando graviter & perniciosè deliquit. 2. quòd auctoritatem iudicis in non comparendo manifestè contemnit; Si ergò actori etiam meliorem causam habenti

benti propter solam absentiae contumaciam poena imposita est, ut reo licet victo expensas suas refundat, *l. properand. 13. §. sin a. ex gestis C. d. judic.* multò magis diffamator & ratione calumniae & ratione contumaciae eas diffamato refundere tenebitur. *Mund. h. c. 5. §. 2. n. 100. Blarer c. 5. num. 32.* ubi de communi Camerae Imp. aliorumque inferiorum judiciorum stilo hoc rectè servari testatur: Et quod diffamato in hoc nostro iudicio expensae maximè debeantur, inde quoque clarum fit, dicit *Blarer d. c. 5. n. 35.* quod illi praeter remedium *l. n.* & actio in factum de dolo & interesse contra diffamatorè competit, quam rationem probant & sequuntur *Contard. h. c. 3. n. 140. Cagnol. num. 4. C. J. A. 47. ff. 10. thes. 32. & Mund. d. §. 2. num. 116.* ubi id de communi ferè curiarum consuetudine & stilo servari testatur. An autem actio injuriarum cum Condiçione legis nostrae in uno eodemque libello cumulari & simul proponi potest? *Aff. Wesemb. vol. 1. conf. 22. n. 23. Befold. in thes. pract. ad verb. lex diffamari. Mund. d. n. 116.* & alii his praecipuè rationibus. 1. quia remedium *l. diffam.* est velut praeparatorium actionis injur. Praeparatorium autem cum suo praeparato rectè simul proponitur, *Rosbach. in Pr. Civ. tit. 34. n. 15.* 2. quia diffamatus certò scire non potest, quas nam diffamationis suae causas diffamator habeat, ac allaturus sit; Quoties autem quis probabiliter dubitat de genere actionis, toties plures in uno libello cumulare potest, *l. 1. §. quia a. 4. ff. Quod leg. ubi Bart. Gail. 1. O. 63. num. 3. & Rosbach d. r. 34. n. 11.* Econtra negativam tuentur *Carpz. d. def. 15. Contard. h. c. 4. n. 97. & alii.* 1. quia cumulatio actionum non admittitur, nisi ad eundem tendant finem, Condiçtio autem ex *L. diff.* & actio injur. ad diversum tendunt finè. 2. quia ex cumulatione harum actionum metueda esset confusio jurisdictionum contra *l. 4. C. de jurisd. omn. jud.* si nempè diffamans actione injur. coràm suo iudice competente conventus in foro diffamati respòdere teneretur. 3. quia extraordinarium remedium cum ordinario non conjungitur, *l. 1. §. per hanc. 3. ff. d. R. V.* Condiçtio autem ex *L. diffam.* est rem. extraord. *Contard. d. n. 97.* actio v. injur. est ordinarium. *arg. pr. Inst. d. oblig. ex delict. l. 4. ff. d. O. & A.* plures rationes affert. *Mund. d. §. 2. num. 103. & seqq. ubi vid.*

### ARTICULUS III.

De

### FORMA.

§. 1.

**F**orma Conditionis ex l. diffam. consistit in requisitis tum essentialibus, tum naturalibus, & modo procedendi.

§. 2. Requisita essentialia sunt, 1. ut diffamatio facta sit dolo malo, certâ delicti specie expressâ & sine causa, velut p. pr. artic. 2. §. 5. probavimus. 2. diffamatio debet esse de jure diffamantis, non de jure tertii, Ordin. Cam. p. 2. tit. 25. ibiq. Koch. obs. 42. Schwanmann in process. Cam. l. 2. c. 18. n. 2. & diff. jur. Civ. & Cam. 23. num. 5. Ad obtinendos in Camer. Imperiali processus super hâc Constitutione ulterius 3. requiritur, ut diffamatus sive supplicans Imperio immediatè subjectus sit, text. in Ord. Cam. d. t. 25. ibi, auch nicht anders / dann so die ansuchende Parthey / die in der Hauptsach antwortet / der Kaysert. May. vnd dem Reich ohne Mittel vnderworffen / etc. Declaratur 1. per ampliationem, ut nihil intersit, utrum diffamator sit immediatus, an mediatus? Gail. 1. Observ. 10. num. 1. Mynsing. 5. O. 81. num. 4. aut nullâ ratione imperio subjectus, Schwanmann obs. Cam. 162. num. 7. ubi in causa Kolblin contra Harff subditum Brabantiae citationem ex h. l. decretam refert; Et ratio est, quòd diffamator velut actor forum diffamati sequi teneatur per vulg. 2. per limitationem, quâ si causa suâ naturâ ad Cameram spectat processus ex h. l. decernitur, etiamsi diffamatus mediatè imperio sublit. Schwanmann d. diff. 23. num. 8. Sic quando iudex competens est suspectus, aut alias ipse diffamans, citatio in Camera petitur, licet diffamatus sit subditus, prout in causa der Statt Braunschweig contra Herzogen Heinrich Julium von Braunschweig & Erfurt contra Meynk / d. 9. Octobr. 1592. factum fuisse testatur Reichwein in formul. c. 6. Myns. 5. observ. 1. Quid si diffamatus immediatè quidem imperio addictus sit, sed prima instantia non ad Cameram, sed ad Ordinarios iudices, vulgò Austregas pertineat? Tunc Cameram Imp. judicem



cem quidem esse & manere in iudicio diffamationis, h. e. quoad præfixionem termini & impositionem perpetui silentii non obstantibus astrictis, sed actionem seu causam principalem ad ordinarium seu competentem iudicem transmittere tradunt. Koch. in *Comm. ad Ordin. Cam. d. t. 25.* Autor præjud. Camer. in *verb. lex diffamari §. contra quemcunque, &c. fol. 177.* Schwanmann *observ. Camer. 162. num. 4. & d. diff. 23. num. 7.* nisi hic suspectus sit, vel iustitiam administrare deneget, tunc enim causa principalis in Camera retinetur, prout in causa Magdeburg contra Sachsen factum testatur Koch. *d. t. 25. §. praxis verb. ubi jam. in f. 4.* Necesse est, ut diffamatio sit gravis & talis, quæ pacem publicam turbare & scandalo esse possit. *text. in Ordin. Cam. d. t. 25. vers. Demnach/re. Gail. 1. Obs. 10. n. 1. & ibi Græven in addit. Schwanmann d. observ. 162. & diff. 23. num. 4.* 5. requiritur, ut Iudici priusquam citationem & processum decernit, de diffamatione scripto, vel documento, durch schriftlich oder ander glaublich Brund / probabiliter constet. *Ordin. Camer. d. t. 25. §. daß auch Cammerrichter/re.* Nam licet regulariter quoad fundandam jurisdictionem iudicis & ad obtinendos in Camera processus nudis supplicantium narratis fides habeatur, per *text. in l. cum quadam puella. 19. §. 1. ff. de jurisdic. Gail. 1. Obs. 31. num. 1. & seqq.* id tamen in obtinenda citatione super Constitutione L. nostræ non procedit, sed requiritur ratione diffamationis summaria quædam cognitio causæ. *Gail. d. O. 10. n. 8. Schwanmann in process. Cam. d. c. 18. n. 3. Berlich. p. 1. conclus. 7. num. 96. cum seqq. Sebast. Kräyser in process. suo summ. Rom. Bavarico tit. 1. artic. 4. num. 2.* Ratio est, ne quis ob viles & fictas diffamationum causas cum periculo famæ & bonorum injustè litibus exponatur & inutilibus sumptibus vexetur. Deinde ne actor per alterius versutiam & calliditatem hâc ratione suâ instantiâ privetur, & contra juris regulas invitus jus suum in iudicium deducere cogatur. *Blarer h. c. 1. num. 9.* hinc literæ diffamatoriae, aliæve ad demonstrandam diffamationem documenta unâ cum Supplicatione in Camera Senatû exhiberi solent, testib. Koch. in *Comm. ad Ord. Cam. d. t. 25. §. tertio quoq. Mynf. 5. obs. 81. num. 5. add. Schwanmann d. obs. 162. num. 15.* His requisitis concurrentibus citatio su-

rio super Constit. *L. diffam.* in Camera decernitur & plerumque etiam cum mandato de non offendendo. *Gail. d. O. 10. n. 8.* Blarer *h. c. 5. n. 54.* ubi tradit simul formulam supplicationis pro *mand. de non offend. & cit. juxta h. l.*

§. 3. Naturalia Conditionis nostræ consistunt in proprietatibus, quas habet vel 1. à causâ efficiente, quâ Civilis est, cum originem suam habeat non ex jure Gent. neque ex jurisdictione Prætoris, sed ex jure Civili, *Dd. comm. ad h. l. C. J. A. 13. ff. 2.* Dn. D. Lauterbach *in dict. ad eund. tit. Oldend. class. 4. act. 41.* & Personalis, quia descendit ex obligatione, & datur non nisi adversus eum, qui ex delicto diffamationis obligatus est, quod proprium est actionum personalium, §. 1. *ibiq.* *Dd. Inst. de actionib.* sicut & harum specialiore appell. conditiones veniunt. §. 15. *Inst. eod. & l. 25. de O. & A.* 2. ab Objecto, quod sit pœnalis, quippe diffamatus hâc actione non persequitur rem, neque id quod sibi ex patrimonio revera abest, sed agit ad perpetui silentii impositionem, quæ à Gailio *1. Obs. 9. n. 3. inf. & n. 6.* & aliis ad *h. l. n.* passim pœna dicitur. 3. à formâ, h. e. figurâ judicii, unde summaria dicitur, cum in eo non solenni judiciorum ordine plenariè servato, sed de plano & summarîè absque verâ litis contestatione procedatur. *C. J. A. 47. ff. 10. th. 36.* 4. denique respectu durationis est perpetua ad instar aliarum actionum personalium. *l. sicut 3. ibiq.* *Gl. & Dd. C. de prescript. 30. vel 40. ann.* & alias Conditionum ex Lege genus esse perpetuum nemo dubitat. *Bart. & alii in l. 1. C. de Cond. ex L. Mundius h. c. 7. num. 14. & seqq. ubi vid.*

§. 4. Modum procedendi sive exercitium *Cond. ex l. diffam.* quod attinet, ordior à judice seu foro competente; ubi ante omnia meminisse oportet in causis diffamationum tam ex jure communi, quàm ex Constitutione Imperii duplex esse judicium. 1. Diffamatorium, in quo de veritate diffamationis, præfixione termini, & de impositione perpetui silentii tractatur. 2. Actionis sive causæ principalis, ubi diffamator intra terminum in priore judicio præfixum de jure suo experiri debet: In illo diffamatus pro actore habetur, in hoc diffamator, & sic qui in primo judicio diffamatorio reus erat, in secundo cau-

do causæ scil. principalis est actor. Gail. 1. *Observ.* 11. num. 2. Mund. h. c. 5. §. 1. num. 75. In causarum tamen intitulatione in foro Cam. ad evitandam confusionem diffamatus actoris nomine semper appellatur. Gail. 1. *Observ.* 12. num. 6. Schwann. in *process.* Camer. l. 2. cap. 22. num. 2. Dicitur autem diffamatus actor, quatenus stimulo diffamationis coactus & metu molestiæ præsentis vel futuræ impulsus, judicem adit, ipsi diffamationem probat & petit diffamatorem citari, ut intra certum terminum compareat, & causas traductionis, si quas adversus diffamatum se habere de jure putet, deducat sub pœna impositionis perpetui silentii; Cæteroquin inspiciendo causam originariam, quæ ad cognoscendum, quis actor, quis reus sit, inspicere debet. Cravetta *Consil.* 182. num. 3. Cardin. Tusch. tom. 1. *conclus.* 118. num. 1. lit. a. Ayrex in *process.* suop. 1. c. 1. *observ.* 5. n. 13. diffamator est actor & diffamatus reus; Ille enim primò diffamavit & hoc ipso ad judicem diffamati tacitè provocavit. Gail. 1. *Obs.* 9. num. 5. C. J. A. 47. ff. 10. *thes.* 36. num. 10. Rosbach. in *Pr. Civ. t.* 10. num. 13. nec attendi debet, quòd diffamatus diffamatione stimulatus per accidens suum adeat judicem, & petat diffamanti terminum ad agendum constitui; siquidem causa naturalis & principalis vincit accidentalem. Abbas in c. *si quis contra Clericum.* X. de *for. compet.* Cothman. volum. 2. *conf.* 83. n. 38. Deinde diffamatus adeundo suum judicem nihil aliud agit, quàm ut ipsi suggerat & notificet, diffamatorem diffamasse & ad tribunal suum provocasse, & se paratum esse ad respondendum & defensionales suas proponendum, modò diffamator in institutâ actione pergat. Bartol. in l. *Titia ff. de accusat.* & in l. *si ea C. Qui accus. non poss.* Diffamati igitur judex hic est ordinarius & competens, in tantum, ut etiam Clericus, si laicum quodam super crimine vel debito iniquè traducat & ab hoc ex l. n. conveniatur, coram judice sæculari comparere necesse habeat, nisi pati velit perpetuum sibi imponi silentium. Cardin. Tusch. *conclus.* 368. num. 18. lit. C. Dn. D. Sonner in *dissert. de for. compet.* c. 7. num. 22. Sed si diffamatus plures habeat judices, an quilibet erit Ordinarius, ita ut si is unum elegerit, diffamans verò citatus coram alio compareat, præventio diffamati locum habeat? Et sanè Natta in *Clem. sepè d. V. S.* & Cæs. Contard. h. c. 5.

E

nam. 28. non ausi sunt decidere hanc quæstionem. Socinus autem *consil.* 94. *volum.* 3. eumque sequentes Cagnol. *h. num.* 10. Vigel. *in Meth. jur. civ.* l. 4. c. 10. *reg.* 102. C. J. A. 47. ff. 10. *th.* 32. num. 10. & alii decidunt pro diffamante, quòd hic secundum ante dicta sit actor, ubi autem reus sub pluribus iudicibus forum sortitur, electio permittitur actori, huiusque in arbitrio est, ad quem iudicem reum trahere velit, l. 19. §. *fin.* ff. *de iudic.* l. 2. §. 3. ff. *Quod cert. loc.* l. 25. *pr. ibiq.* Bald. C. *de Episc. & Cleric.* Contrariam sententiam tenet Felin. *inc. cum sit generale.* 8. X. *de for. compet.* num. 6. & cum eo Rosbach. *in Pr. Civ. tit.* 3. num. 5. *Mund. h. c. §.* I. n. 41. & *seqq.* 1. propter verba l. n. *præsertim cum affirmes diu præsidem unum atq. alterum &c.* è quibus liquere ajunt, diffamato liberam electionem esse inter præsides sive iudices. 2. propter textus juris, quibus affirmatur, quòd ubi iudicium cœptum, ibi & finiri debeat; notum autem litem pendentem fieri, ejusque exceptionem surgere, simulatque citatio à iudice petita est. 3. quia si diffamanti ut actori libera iudicis electio competeret, sequeretur, omnem ex l. n. institutam conditionem ad voluntatem diffamantis eludi ac frustrari posse, illique licitum esse iudicis auctoritatem contemnere, contra l. *si prætor.* 75. ff. *de iudic.* & quod in gratiam diffamati introductum in ejus dispendium retorquere, contra l. 61. *de R. J. in 6. & l. 6. C. de LL.* Pro conciliandâ hâc controversiâ & propositâ quæstione ritè ac legitimè discutiendâ distinguit Blarer *h. c. 4. n. 40.* quoad iudices, hoc modo: aut diffamatus, qui plures iudices habuit, inferiore ac ordinario suo iudice præterito superiorem, à quo nullo modo appellare licet, protinus accessit; aut superiorem non accessit, sed talem à quo postmodum ad alium appellare permissum, & ita ubi nullum actoris periculum seu præjudicium vertitur, ut illo casu Socini, hoc v. Felini sententia procedere possit. Cùm itaque iudex diffamati in hoc iudicio sit ordinarius & competens, non incommodè hîc quæritur: An & quivis silentium imponere possit? Ratio dubitandi est, quòd diffamans extra territorium diffamati fortè vivens supra jurisdictionem jus audire non cogatur, l. 20. *de jurisdiction. & t. t. C. si à non compet. iud.* & extra territorium jus di-  
cens

cens sit loco privati, l. 3. de offic. praef. l. 4. §. 6. ubi Dd. de offic. Procons.  
 Ratio v. decidendi est, quòd diffamans per diffamationem ta-  
 citè se ad agendum adstringat, & consequenter volens alienæ  
 jurisdictioni se submittat; Volenti autem non fit injuria, c.  
 scienti. 27. de Reg. Jur. in 6. l. nemo videtur 145. ff. eod. Neque est,  
 quòd judex diffamantis hîc conqueratur de jurisdictione vio-  
 latâ, quandoquidem diffamatus (ut ex superioribus constat)  
 est reus, cujus forum diffamans tanquam actor de jure sequi  
 tenetur, l. 2. l. 5. C. d. jurisd. omn. jud. l. 3. C. ubi & ap. quem act. utut  
 alias quivis judex reo velut favorabiliore actore, l. 125. de R. Jur.  
 legitimum auxilium ferre, suâque providentiâ allaborare de-  
 beat, ut causarum litigia dirimantur, l. f. C. de don. int. vir. & ux.  
 & calumniantium iniquitates expellantur. Nov. 85. princ. Ru-  
 melin. in exer. justin. 21. thes. 28. Judicem sequuntur personæ  
 litigantes; ubi tenendum, quòd diffamatus suo judici exhi-  
 bet supplicationem pro citatione juxta L. diffamari [A] hanc  
 judex causâ cognitâ [B] decernit [C] & diffamanti ter-  
 minum [D] sub comminatione perpetui silentii constituit;  
 In termino constituto diffamatus reproductâ citatione cum  
 executione nuncii in puncto diffamationis summariam ex-  
 hibet petitionem [E] diffamatoris comparitionem perce-  
 pturus; Hic si

Comparet, tunc vel

Fatetur diffamationem &

Agit, jusque suum, quod contra diffamatum  
 præten dit, judici exponit, sibiq; justitiam ad-  
 ministrari petit, quo casu judicium legis no-  
 stræ vires suas amittit & ordinarium inchoa-  
 tur, & libellus à diffamato exhibitus vel sta-  
 tim evanescit, ac pro nunquâ oblato reputa-  
 tur, vel in vim exceptionis & defensionis re-  
 solvitur. Blarer h. c. 4. n. 7. c. 7. n. 13. & c. 8. in pr.  
 sic quidem ut super diffamantis libello tan-  
 quam ordinario ac originali saltem proceda-  
 tur. Cagnol. h. n. 11. & communis ac cum de-  
 bitis solennitatibus in hoc judicio, sicut in  
 ceteris legitimis causis servetur processus, lis

contestetur, & omnia quæ ad declarationem  
& probationem causæ faciunt, in iudicium  
deducantur & sententia concipiatur, quâ reus  
actori, si hic jus suum, quod se adversus il-  
lum habere diffamando palam asseruit, legi-  
timè probavit, condemnatur, & nisi ab ea  
fuerit appellatum executioni mandatur; Sin  
verò actor intentionem suam non proba-  
rit, nec de prætenso jure docere potuerit,  
tùm reus ab impetitione illius absolvitur  
& actori perpetuum imponitur silentium.  
Blarer d. c. 7. num. 17. & seqq. Mund. c. 5. §. 4.  
num. 2. cum seqq.

[Excipit v. infr. h. memb. port. 2.]

Negat, tunc secund. jura vulg. in l. 4. C. d. Edend. &  
l. 2. C. d. prob. diffamato incumbit onus probandi,  
diffamationem nempe esse factam, quod si non  
probat, tunc diffamator absolvitur & diffamatus  
in expensas condemnatur; Sin autem probat dif-  
famationem, tùm diffamatori certus præfigitur  
terminus ad agendum in iudicio actionis & per-  
sequendi suam prætensam causam sub pœna per-  
petui silentii. Ord. Cam. p. 2. t. 25. ibi vnd darauff  
die diffamation, & c. Gail 1. O. 12. n. 2. & seq. Schwann-  
mann d. c. 22. num. 7. cum seqq. & observ. Cam. 163.  
num. 2. & seq.

Non comparet, tùm diffamatus illius contumaciam ac-  
cusat [F] & secundam citationem petit [G] ad quam  
si diffamator nondum comparet, sed in contumaciâ  
persistit, diffamatus contumaciam diffamantis iterum  
accusat, & repetitâ summarîâ petitione rogat decerni,  
ut in illa petitum; Submissione hoc modo factâ [H]  
iudex sententiam concipiet [I] ejusque ad publica-  
tionem partes citabit. [L] Publicatâ porrò sententiâ  
nisi impugnetur [M] transit in rem judicatam, &  
executionem meretur. [N]

[A] Quæ

[A] Quæ tribus constare debet 1. facti specie, h. e. diffamationis narratione, quæ judici non solum clarè & breviter proponenda, sed etiam literis diffamantis, vel aliis fide dignis documentis summarie probanda est. Gail. 1. O. 10. n. 8. Wesemb. conf. 149. n. 118. 2. Causâ petendi sive medio concludendi, unde qualitas intentatæ actionis colligitur & demonstratur. Gail. 1. O. 61. n. 9. Rosbach. in Pr. Civ. t. 33. num. 28. 3. Deniq; conclusione, in qua cum tota vis & substantia vertatur, Gail. d. O. 61. n. 13. Corvinus in aph. Inst. d. poen. rem. litig. Rubr. d. libello qu. 5. & iudex eam potissimum respiciat, Angel. in pr. Inst. d. actionib. quàm diligentissime à supplicante concipi debet; Petet autem in ea à iudice, ut ex allegatis causis processum ex l. diffamari contra diffamatum decernere, eiq; sub pœnâ perpetui silentii certum terminum ad deducendam suam diffamationem præfigere, vel generaliter citationem juxta l. diffamari decernere velit, prout ex formulis supplicationum à Blarero h. c. 5. n. 49. cum seqq. & Mundio c. 5. S. 2. n. 132. & seqq. traditis plenius addiscere licet. [B] Causa enim cognitio maximè est necessaria per tradita in artic. 3. S. 2. n. 5. [C] in scriptis vel Edictalem. Blarer h. c. 6. n. 53. ubi has adeò frequenter in hoc iudicio sibi locum vindicare ait, ut ad ejus etiam quasi proprietatem ac naturam præcipuè spectare merito judicari possit & Mund. h. c. 5. S. 2. n. 8. & S. 3. n. 231. & seqq. ubi harum citationum formulas in Cæs. & Sax. foro usitatiores tradit. Et si diffamans sub alienâ vixerit jurisdictione, missis literis requisitoriis sive mutui compassus ad iudicem, sub quo citandus degit, illius subsidium implorabit ac petet, ut jubeat citatum in loco citantis ad præfixum terminum comparere sub comminatione, &c. Gail. 1. O. 56. num. 5. ibiq; Græven. Coler. d. process. execut. p. 3. c. 7. n. 32. & seqq. Et ita Coburgi in causa quadam & alibi suo tempore factum fuisse testatur

Mund. d. c. 5. S. 3. n. 180. Sed an alio modo quàm per simplicem citationem contra diffamatorem procedi potest? Aff. & præcipuè si diffamator ejusdem cum diffamato est fori, mandando hoc modo: Titius apud nos conquestus est, quomodo à te de debito traducatur, quia autem se tibi nihil debere literis aliisq; probationibus ostendit, & malignitate aliquem diffamare periniquum, ideò mandamus sub pœna pecuniaria, &c. ut tali diffamatione abstineas; Sin autem contradictionem facturis defensionibus tuis confidis, vocamus & citamus te in Cal. Maji. coràm nobis compareas, &c. Mund. h. c. 5. S. 2. n. 128. ubi hunc procedendi modum præjudicio Egranensi de anno 1627. d. 8. Octobr. confirmat. [D] hic cum lege non reperiatur definitus, judicis relinquitur arbitrio per l. 1. ff. d. jur. delib. qui pro distantia loci, conditione causæ & personæ, aliisq; circumstantiis competentem & ad deliberandum atq; agendum congruum statuet terminum, Blarer. d. c. 6. n. 113. [E] in quâ diffamationem de novo deducere non est necesse, sed sufficit narrata supplicationis cum documentis antea productis relativè repetere additâ conclusione, ut Judex reo brevem terminum ad deducendum & probandum jus suum sub comminatione perpetui silentii injungat cum refusione expensarum & damnorum. Schwanmann in process. Cam. l. 1. c. 41. n. 13. & c. 42. num. 28. cum seq. & l. 2. c. 22. n. 4. Georg. Obrecht in tract. d. concip. & form. libell. c. 6. num. 8. formulas hujus petitionis vid. apud Mund. cap. 5. S. 4. num. 15. & Schwanmann d. c. 22. n. 17. & 18. Q. An super hac petitione lis contestetur? Affirm. videtur Gail. 1. O. 11. n. 3. Covarruv. 1. V. R. 18. num. 6. Econtra negativam tenet Schwanm. d. c. 22. n. 6. Pro conciliatione potest distingui inter veram seu propriam & impropriam litis contestationem. vid. Rosbach. in Pr. Civil. tit. 49. d. lit. Contest. num. 17. cum seqq. [F] Licet quidam velint sufficere, si judi-



si iudici de contumacia diffamantis constet eò, quòd in hoc iudicio interlocutoria tantum feratur sententia, quæ ferri potest & valet etiam sine petitione & citatione partis. Gl. in l. 9. §. 1. ff. d. offic. procons. & in l. 27. pr. ff. d. Recept. Item quòd lites abbreviari utile sit, l. 13. l. 16. C. de iudic. & iudex parte non petente contumacem multare possit, l. 1. ff. Si quis ius dic. non obtemp. l. 2. §. 1. Si quis in ius voc. non i. ibi Bart. Contumaciæ tamen accusationem necessariam puto ob generalit. text. in d. l. 13. §. 2. ibi absentiam incusante C. de iudic. & imprimis, quia id praxis observat, teste Gail. 1. O. 12. n. 6. Mund. c. 5. §. 4. n. 156. & seqq. ubi vid. formulas accus. contum. Neg. obstat, quòd de sententia interlocutoria in hoc iudicio adducitur, siquidem illa non simplex interlocutoria est, sed vim definitivæ habet & tractat de pleno præiudicio & omnimodâ juris amissione. Blarer h. c. 6. n. 27. Rosbach in d. proc. t. 30. nu. 14. quæ velut definitiva sine accusatione contumaciæ & citatione partis nulla est. Maranta in spec. aur. p. 6. d. sent. n. 11. Rosbach d. tit. 72. num. 15. Deinde nihil movet, quòd lites abbreviandæ & contrahendæ, quia id fieri debet legitimè & sine injuriâ alterius, arg. l. 8. §. 2. in fin. ff. d. transact. l. 14. C. d. Cond. indeb. l. 206. de R. J. maximè autem legis nostræ processus violaretur & diffamatori injuria fieret, si absq. præviâ contumaciæ accusatione sententia publicaretur; Ad ultimum arg. Resp. quòd hic non de mulctâ aliquâ imponendâ, sed de juris omnimodâ amissione agatur. [G] Unica namq. citatio ad declarationem contumaciæ & impositionem perpetui silentii non sufficit, per ea quæ infra ad lit. L. tradentur; Quare si diffamatus accusationi contumaciæ adjungat petitionem, quâ diffamanti perpetuum silentium imponi, eumq. in expensas & damna condemnari petit, prout communiter fieri solet, teste Mund. h. c. 5. §. 4. n. 15. iudex rejectâ hâc petitione dabit sententiam

tiam interlocutoriam, quâ diffamato injunget, ut si ad ulte-  
riora ritè procedere velit, diffamatorem ad hoc iterato cita-  
ri faciat. Gail. d. O. 12. n. 5. Blarer c. 8. n. 19. & Mund. d.  
S. 4. n. 19. ubi vid. formulas petendi & decernendi secun-  
dam citationem. [H] Nã ante hanc iteratam accusationem  
& petitionem judex ad sententiam haud procedere, sed dif-  
famantem elapso termino adhuc comparentem & diffamato  
expensas refundentem audire debet. Blarer d. c. 8. n. 9. &  
seqq. Mund. d. S. 4. n. 104. cum seqq. [I] Libello, h. e.  
summarie diffamati petitioni conformem per l. f. C. d. fi-  
deic. lib. 1. 13. ff. Comm. divid. Mirum autem alicui vi-  
deri posset, cum in hoc judicio non contestetur lis, & litis  
contestatio sit fundamentum & lapis, ut ajunt, angularis  
judicii, quomodo eâ deficiente superedificari queat; Verùm  
distinguendum est inter regulam & exceptionem. Deinde  
constat ex superioribus, quòd in hoc judicio non quidem ex-  
pressè sed tacitè & quasi lis contestetur, sicut in aliis causis  
summariis veram litis contestationem non esse necessariam  
tradit Rosbach. in Pr. Civil. t. 49. n. 17. & seq. Ceterùm  
sententia, quæ in hoc judicio fertur, non est simplex inter-  
locutoria, neq; pura definitiva, sed mixta, h. e. interlocutoria  
habens vim definitivæ: Nam in finibus interlocutoria non  
permanet simpliciter, sed ulterius progreditur & diffaman-  
tem omni suo prætenso jure privat; diffamatum verò ab  
observatione judicii omninò absolvit text. & Dd. in l. n.  
quæ tamen non meretur nomen mere definitive, quia hæc  
duplici respectu, ordinis scil. & finis talis esse jubetur. Decius  
in C. ex ratione x. d. appell. n. 11. Boerius decis. 29.  
n. 8. Nostra autem sententia licet respectu finis per modò  
dicta sit definitiva, quia tamen in judicio L. diffamari non  
solemniter sed summarie tantùm proceditur, respectu ordinis  
interlocutoria dicenda est, adeoq; interlocutoria habens vim  
definitivæ, & quidem eò magis, quòd judicis officium per  
illam

illam exspiret, nec alia post eam speretur sententia, sed trans-  
eat in rem judicatam & instar definitiva observetur. Conf.  
Gail. i. observ. 30. n. 6. Mynsing. i. O. 66. & Rosbach. d.  
tit. 71. n. 5. & seq. [L] Citatio hæc de jure cõmuni sum-  
mè necessaria est per ea quæ tradunt Bartol. & Bald. in l.  
ea quæ 7. C. Quom. & quand. jud. Gail. i. O. 109. n. 1.  
cum seq. Rosbach. d. t. 72. n. 15. nec considerata autori-  
tas Roerii in decis. 255. qui referente Mundio h. c. 5. S. 5.  
n. 41. & n. 48. sine ratione & legib. negat, diffamantem post  
lapsum terminum adhuc contumacem ad audiendam senten-  
tiam citandum; nam non tantum apud nos valere debet  
Commentatoris præjudicata opinio, ut sine ratione valeat  
autoritas. Cicer. d. nat. Deor. lib. 1. Thoming. decis. 38.  
n. 24. & Doctor sine legib. habet se tanquam fides sine operi-  
bus. Tiraq. d. nobil. c. 2. n. 9. lyra sine chorda, aut campana  
sine pistillo. Pruckm. conf. 24. vol. 1. n. 75. Trinaitaq; cita-  
tio in hoc nostro judicio intervenire debet; una ut modo di-  
ctum ad audiendam sententiam, & due sicut ex præcedentib.  
constat, ad agendum & processum urgendum. Rationes dubi-  
tandi & quòd una citatio sufficiat sunt. 1. quòd una pro tri-  
bus sufficit & vim peremptorii habet, l. 68. l. 72. ff. de judic.  
l. 53. ff. d. re jud. 2. quòd ad constituendum quem in mora  
unica sufficiat monitio & interpellatio, l. Titia 87. S. 1 ff. d.  
leg. 2. fac. l. 6. C. d. Remiss. pign. Sic 3. semel jussus à  
judice exhibere instrumentũ si non paret, privari potest jure  
illius instrumenti. Innocent. in c. perpetuus d. fid. instrum.  
Bartol. & Dd. in l. 2. C. d. Edend. Sicut in simili redar-  
guere volenti instrumentum de falso, nisi hoc intra termi-  
num ipsi semel constitutum faciat, amplius non auditur, c.  
accepimus 4. x. d. fid. instrum. Rationes verò deciden-  
di & quidem dub. 1. est, quòd regula illa procedat in ex-  
trajudicialibus, nam in judicialibus unica vocatio non suf-  
ficit, sed ulterior requiritur per tradita. Hostiens. in c. quo-

modo x. de probat. præsertim si de pleno præjudicio & de jure privando agitur. Wesembec. vol. 3. consil. 148. n. 284. Deinde prædicta regula non habet locum, ubi leges specialiter requirunt plures citationes. Gl. in Clem. 1. vers. acquisiverit x. de hæret. Id autem legis nostræ verbum vocitasse latinis assiduitatem & idem ac iterum atq; iterum vocasse significans. Finckius in Gramm. Giesl. l. 1. c. 22. §. frequetativa, demonstrat. Secunda dubitationis decisio pendet ex vulgata regula, quâ ex separatis & diversis malam illationem fieri dicitur in l. f. ff. d. Calumn. mora siquidem multis purgatur modis, quibus de vid. Dn. Meim. Schöne in disput. inaug. anno 1649. Argentinae habitâ de purg. moræ thes. 38, & seqq. Impositum autem silentium & illatum præjudicium nunquam reperari posse constat. Ex ead. regula, ex diversis, &c. deciditur quoq; tertium dubium; nam multò facilius est exhibere instrumentum, quàm actionem vel accusationem instituere, & ideo illic citius mandato judicis parendum per l. 23. §. 1. de hæred. instit. Et hanc esse communem Dd. sententiam juri & praxi omninò consentaneam, adeò ut ab eadem ne latum quidem digitum recedendum dicit Wesemb. cons. 96. vol. 2. n. pen. Eademq; in Camera approbata est teste Gailio l. O. 12. n. 4. Blarer h. c. 6. n. 40. licet quandoq; judex pro ratione circumstantiarum etiam ter ad agendum & quartâ demum vice ad audiendam sententiam citet. Blarer d. C. 6. n. 39. prout hoc duplici præjudicio Coburgi de anno 1611. d. 23. Febr. & Egræ de anno 1626. d. 15. Febr. confirmat Mundius h. c. 5. §. 3. n. 175. [M] quod fit per appellationem vel supplicationem pro revisione actorum. Revisio quabiter in judicio l. diffamari locum obtineat docent Gail. 1. obs. 132. n. ult. Bender in tr. de Revis. conclus. 32. Per appellationem quoq; sententiam in d. judicio latam suspendi aut corrigi posse communis est  
Dd. opi-

*Dd. opinio teste Gail. d. observ. 132. n. 1. eamq̄ approbant  
Trentl. 2. disp. 33. th. 5. lit. g. C. F. A. 49. ff. 1. th. 11. n. 6.  
Tileman. in disp. ad ff. p. 2. disput. ult. th. 7. Et ratio est,  
quia sententia hac habet vim definitiva, diffamatori ple-  
num affert præjudicium & tale gravamen, quod citra ap-  
pellationem reparari nequit; Quoties autem interlocuto-  
ria habet vim definitiva & damnum irreparabile infert, to-  
ties ab ea appellatio est licita. Wesemb. in π. ff. de appellat.  
num. 8. Trentl. d. th. 5. lit. f. Gail. 1. O. 129. & seq. n. 5.  
Mynsing. 3. obs. 88. n. 1. Hinc etiam patet eam ad instar  
provocationis à definitiva in continenti vivâ voce, vel ex in-  
tervallo in scriptis sine gravaminum expressione interponi  
posse juxta text. in l. 1. §. fin. cum l. seq. ff. de appell. &  
Ord. Cam. p. 2. t. 29. §. 3. ibi vñ so von Beyvrtheilen/ die  
Krafft einer Endvrtheil hätten appellire wurde / so soll  
der Appellant in Schrifften ex intervallo, oder münd-  
lich in continenti wie von andern Vrtheilen zu appel-  
liren Macht haben/te. Gail. d. O. 130. num. 15. Rosbach.  
d. 1. t. 73. num. 27. [N] Hic finis & effectus est judicii  
seu processus, ut sententia postquam in rem judicatam  
transvit, executioni mandetur, l. 13. C. d. judic. l. 8. cum  
seq. C. d. Execut. rei judic. Rosbach. t. 1. num. 57. in f. &  
t. 79. num. 1. Vultej. 2. J. R. 32. n. 2. Executio autem sen-  
tentia in hoc judicio lata in eo consistit, ut diffamans, cui si-  
lentium est impositum, ad cautionem de non contravenien-  
do aut non ulterius diffamando præstandam, adq̄ damna &  
interesse & c. diffamato resarcienda legitimè compellatur.  
Mund. d. c. 5. §. 6. n. 14. Pro qua executione facienda ju-  
dex etiam superior, si inferioris potestas se eò non exten-  
dat, vel diffamator extra territorium & jurisdictionem  
hujus vivat, per literas mutui compassus imploratur, l. à  
D. Pio 15. §. 1. ubi Dd. ff. d. re judic. & sic una juris-  
dictio per alteram adjuvatur, quod fieri debet c. quo-*

niam d. offic. judic. *Rosbach* d.t. 79. n. 8. *Gail.* 1. O. 115. n. 2. *Harpr.* in process. judic. dec. 17. conclus. 1. num. 8. *ne res judicata careat effectu.* c. cum aliquib. x. d. re judic. *Mynsing.* 3. obs. 68.

## ARTICULUS IV.

*De*

### CAUSA FINALI.

**F**inis Conditionis ex L. diffam. est tum conservatio pacis publicæ, *Gail.* 1. O. 9. n. 1. & *observ.* 10. n. 6. tum malignarum traductionum coercitio. *C. J. A.* 47. ff. 10. th. 36. ante fin. Confer: *S. 4. art. 1. h. memb.*

## MEMBRUM I.

### PORTIO II.

*De*

### DISSENTANEIS.

**D**issentanea sive contraria hujus Conditionis alia impediunt ejus nativitatem, ut defectus requisitorum, quibus *de in S. 2. art. 3. h. memb.* alia natam vel planè tollunt, ut præscriptio, quæ hîc ut in aliis actionibus personalibus & perpetuis est tricennalis sive longissimi temporis. *Mund. h. c. 7. num. 14. & seqq.* alia eam saltem suspendunt, ut exceptiones, quæ pe-

tuntur ex

Personis & concernunt vel

Judicem, proveniuntque partim

Ex personâ ipsius, quales sunt 1. Incompetentiæ sive fori declinatoria, quæ in hoc judicio tum maximè locum invenit, quando diffamatus ordinario suo judice omisso superiorem, à quo appellari non potest, adiit. *Blarex h. c. 7. n. 11. Mund. c. 5. S. 4. num. 26.* hæc tamen

tamen magis jurisdictionem judicis, quam ipsius personam concernit. *Gilhaus. in arb. jud. ram. 10. num. 2.* 2. Recusationis judicis, vid. *Gail. 1. O. 33. ibiq;* *Græven. in addit. Mynsing. 4. observ. 54.*

[Occasione tantum illius, ut si diffamatione non cognita citationem decreverit, *Blarer d. n. 11. 2.* si trinam citationem aliasque solennitates non observaverit, *C. J. A. d. th. 36.* 3. est exceptio feriarum, termini angustioris & denique loci non tuti. *Blarer d. c. 6. n. 116. & 119.*

[Diffamatum, & hujus personam vel

{ Directo, qualis est exceptio legitimationis; in omni enim judicio quantumvis summario requiritur legitimatio personarum. *Mund. h. c. 5. S. 4. n. 39.* *Rosbach. in Pr. Civ. t. 1. n. 76.* Huc referri solet exceptio excommunicacionis & banni, hæc tamen non tam ad tempus, quam perpetuo obstat & impedit litis ingressum.

{ Indirecto, ut est exceptio contumaciæ, si diffamatus in termino præfixo non compareat, potest diffamator comparens de ipsius contumaciâ excipere, nec postea audietur diffamatus, priusquam diffamatori expensas & litis sumptus reddiderit. vid. *C. J. A. 44. ff. 1. th. 129.* *Umm. in process. suo. disp. 3. th. 2. n. 19.*

[Causis, & spectant modum proponendæ Conditionis, quales sunt exceptio V. G. libelli obscuri, ineptæ cumulationis, sub & obreptionis, & aliæ quas praxis subministrat.

## MEMBRUM II.

De

### AFFINIBUS.

**A**bsolutam Conditionis ex L. diffam. considerationem sequitur respectiva, quæ consistit in affinibus & cognatis, quorum 1. est actio injuriarum, quæ licet etiam detur ob factum & verba contumeliæ causâ emissa, l. 1. §. 1. ff. de injur. factum tamen ibi non tam bonorum & rerum, quam personæ & corporis læsionem concernit, l. 1. §. 2. l. 9. pr. ff. d. t. Et verba ad injur. actionem non sufficiunt media & indifferentia, sed requiruntur turpia, sui que natura injuriola, l. 15. §. 5. ff. & arg. l. 5. C. de injur. Locam. in §. 1. Inst. eod. lit. a. Dn. D. Tabor in not. ad C. J. A. 47. ff. 10. thes. 10. n. 11. Sic actio injuriarum tendit ad vindictam, §. 1. ubi Dd. Inst. de perp. & temp. act. & ut plurimum est annalis, §. 7. Inst. & l. 5. C. de injur. ubi Dd. Condictio v. ex l. diffam. ad impositionem silentii, & semper est perpetua, sicut ex superioribus constat. 2. Actio famosi libelli, quæ licet etiam ex literis & picturis famosis oriatur, tamen ut plurimum contra incertum ac cujus nomen suppressum & occultum est, dirigitur. Constit. Crim. Carol. V. art. 110. ibiq. Georg. Rem. Carpzov. in p. 4. Constit. 44. def. 3. num. 4. & 5. Ad affinia quoque referuntur actio in factum de dolo & interesse, L. si contendat 28. ff. de fidejuss. L. Aurelius, 28. §. 8. de liber. leg. Item L. vix certis. 53. ff. de judic. L. item pupillus fin. C. de Usur. pupill. & denique interdictum uti possidetis, quibus de omnibus vid. Mundius h. cap. 7. & alii ab ipso citati. Ego hinc subsisto: Candidum Lectorem, quâ par est observantiâ, rogans, ut hæc de difficili & perplexâ diffamationum materiâ pro temporis brevitate festinante calamo conscripta, æquiùs consulere, aberrata regię viæ reddere, ac de omnib. benè sentire velit, donec apta forsitan ad reassumendâ hanc tractationem occasio sese offerat, & ipsemet accuratiore limâ ommissa supplere queam, quod ut fiat, faxit DEUS TRIUNUS, cui soli pro præstito hæctenus auxilio devotas ago gratias, & imposterum me studiaque mea commendo.

CORO-



## CORONIDES.

### *Ex jure Publico.*

Non nisi Germanus in Imperatorem eligendus est.

Tutela Electoralis, quæ ex dispositione A. B. ad proximum pertinet agnatum, huic per patrem in testamento auferri & ad alium pro lubitu transferri nequit.

### *Ex jure Civ. privato.*

Quamlibet causam, etiam fatuam ac bestialem excusare à dolo & facere ad mitigationem pœnæ ordinariæ, frequens est in ore pragmaticorum postulatum; Ad mentem tamen Ulpiani *in l. 12. §. 3. ff. d. liber. caus. & l. 46. §. 7. ff. de furt.* minùs aptè profertur, neque ex d. textibus ullo modo probari potest; Imò barbaro illo brocardico indifferenter admisso, jam nullum amplius capitale crimen numerabitur; Ecquis enim reorum non potuit aliquam fatuam ac bestialem causam crimini suo prætere?

Clausula illa consueta: *Alles trewsich vnd ohn gefährde* non facit ex contractu stricti juris contractum b. f.

### *Ex jure Canon.*

Matrimonia inter diversæ religionis homines initiò quidem omnibus modis sunt dissuadenda, contracta tamen ex hâc solâ causâ rescindi haud debent.

Inter Egfredum, Anglorum Regem, & Etheldrudim Conjugium fuisse, ut alter in alterius complexum unquam ne quidem venerit, refert Cypræus *in c. 8. §. 14. d. sponsalib.* Quæri hinc solet: An licita sint sponsalia mutua sub repromissione, ut alter alterum nunquam attingat & carnalis absit copula? Sunt qui conditionem hanc perpetuam quod inducat continentiam honestatis sub velamine tventur, à quibus alii meritò recedunt.

### *Ex jure Feudali.*

Vasallum cum hoste domini huic perniciosam contrahentem amicitiam feudo privari posse, textus est in *tit. 57. l. 2. F. ab hâc*

hâc tamen privationis poenâ liber erit, si id sui suorumque defensionis gratiâ fecerit, cùm aliter periculum evitare non possit.

Tritum illud: der Krumbstab schleuſt niemand auß / non universaliter intelligendum est, ut foeminæ æquè ac mares ex naturâ feudi in Ecclesiasticum feudum succedant.

*Ex Polit:*

Principi Christiano cum Turca, aliòve infideli, contra Principem æquè Christianum in casu extremæ necessitatis, & cùm summa hostium ingruit crudelitas, nec evadendi alia se offert occasio, foedus pangere permissum est.

An Magistratus plures religiones in Republ. tolerare debeat? D.

*Paradoxa.*

Quidam homo non habet caput.

Inter mares quandoque conjugium subsistit.

Ex parentibus legitimis nascitur spurius.

Ex irrito contractu rata datur actio.

Error prævalet veritati.


Reverti aliquando dicitur, quod penes aliquem nunquam fuit.

Diversis temporibus occidi quis potest.

F I N I S.







ULB Halle  
006 570 429


3



V017







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

INDIVIDUÆ  
ATIS

2104  
4 16

THORITATE  
Ampliss. ac Consul-

1658

ici in perantiqua  
auracorum

ria,

c Inauguralem

ONIBUS,

ne

ngenuis manum.

conscriptam,

& PONTIFICIO

s & Immunitatibus

quendis,

litorum examini

WELTERS,

viacus.

M DC LVIII.

solitis.

RGII DECKERI,  
ographi.

